VITT EMANUELE


BIBLIOTHECA CLERR. REGG. S. PAULI
COLLEGII SS. BLASII ET CAROLI DE URBE
PLUT. F LOCULUS VI NUM.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
33 H
14

DE VITIS REBVSQVE GESTIS PROPHETARVM DEI, AC Sanctarum Mulierum veteris Teſtamenti, libri duo planè aurei,

A'

Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno, Græcarum literarum Regio Interprete, paulò ante eius obitum conſcripti, núncque primùm typis excuſi.





Bibliotheca collegij sancti Pauli in columna

LVTETIÆ,

In officina Federici Morelli, vico Bellouaco, ad vrbanam Morum.

M. D. LXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PETRO DANESIO VAVRENSI EPISCOPO G. Genebrardus Bened.

DVo ſunt, Præſul ampliſſime, quæ me in perpetuam Ioachimi Perionij, viri optimi & doctiſſimi, admirationem rapuerũt, quorũ etiam nota iucundam eius recordationem ab omnibus bonis coli & obſeruari video, Eloquentia, & rerum cognitio multiplex. Alterum cum altero ita ab adoleſcentia coniunxit, vt ad omne politiorum diſciplinarum genus ab infantia, ne dicam barbarie, in qua ſquallidæ ante id tempus per multos annos iacuerant, vindicandum, diuina (vt aiunt) virgula ſuppeditatus eſſe videatur. Ex quo enim Arabes, homines potiùs ſtiuæ quàm literis nati, quorum animis vera Dei reli-

gio aut nunquam, aut non perdiu, inſtillari potuit, Mineruæ ſacra myſteria contrectare auſi ſunt, dici non poteſt, quantam barbariem, vt ingenio ſunt fero, inculto & agreſti, in totum orbem terrarum induxerint. Qui enim toto illius ætatis ambitu ſcripſerunt Hebræi, Græci, Latini, non modò ſibi malè, verùm etiam nouè & peregrinè dicendi licentiam aſſumpſêre. Ac, vt prætercam Medicinam & Mathematicas, quæ totis illis ſeculis pro Hippocrate & Galeno, Auicennam & Raſin: pro Euclide & Ptolomæo, Algazelem & Albagtenium coluêre: quam tum putas fuiſſe veræ philoſophiæ formam? quam ſpeciem? quod decus? Plato, Ariſtoteles, Cicero, Seneca, & reliqui nitidi ſcriptores, in puluere nec lecti, nec intellecti volutabantur, vt non mirum ſit, tot præſtantium ingeniorum monumenta, quæ non ita pridem à Clemente, Euſebio, Arnobio, Lactantio, citabantur, penitùs breui tempore intercidiſſe, aut magna ex parte mutila atque mendoſa ad nos perueniſſe. Legebatur in ſcholis Auerroïs, & Commentatoris nomen obtinebat: Halis, ſophiſtæque ſi-

miles, qui etiã noſtros eiuſmodi captionibus, quantumuis ab eis diuiſos toto orbe, ita ceperant, vt illos ignorare, eſſet neſcire omnem philoſophiam. Hoc philoſophãdi genus, vbi ſemel inter homines irrepſiſſet, ad Theologiam ſenſim tranſlatum, Eccleſiam ſponſam Chriſti in tot támque repugnantes ſectas ita diſſecuit, vt iam veteris & noui Teſtamenti propoſitiones in mille formas à quibuſdam rerum nouatoribus mutatæ ſint. Habendæ igitur gratię viris doctis & probis, qui quod donum à Deo acceperant, in vtilitatem Eccleſiæ, rémque publicam, totum contulerunt, vt eiecta Hagare ancilla, in ſuam hæreditatem Saram, quæ nobis veram & ſinceram doctrinam ſignificat, reſtituerent. Inter hos ſedulam, &, quod citra aliorum reprehenſionem dixerim, præcipuam operã poſuiſſe noſtrum Perionium, idque iam omnes Academias, quas nulla inuidiæ labes infecerit, communi ſuffragio comprobaſſe, exiſtimo. Mirè ſauciatam philoſophiam, vt antea dictum eſt, ex bonis græcis bene Romanam fecit: nec primas tantùm lineas duxit, ſed viuos etiam colores ſic appoſuit,

vt cęteros ad ornatiùs ſcribendum de iiſdem rebus non modò non excitarit, ſed etiam planè perterruerit. Quod idem cùm in ſacris literis moliretur, primùm Topica theologica conſcripſit, vt quæ in ſcholis minus eleganter tractabātur, melius ad Dei ſcripturam poſſent exigi. Deinde veterum Theologorum Dionyſij, Iuſtini, Origenis, Baſilij, Damaſceni, & ſimilium, qui Græcè ſcripſerant, varia Opera Latino ſermone diſertiſſimè expreſſit. Denique ipſum Dei verbũ Theologiæ fontem, & quaſi principium, variis libris eadem dicendi fœlicitate complexus eſt. Monoteſſaron, id eſt vnum ex quatuor iis, qui Euangelia ſcripſerũt, de vita rebúſque Domini noſtri IESV CHRISTI, generis hominum conſeruatoris, edidit. Ab eodẽ extat liber de Mariæ virginis Chriſti matris, & Ioannis eiuſdem Baptiſtæ & præcurſoris, vita. Item hiſtoriæ de vitis geſtíſque Apoſtolorum, Patriarcharum, & quas nunc in lucem prodire voluimus, Prophetarũm Dei atque ſanctarum Mulierum veteris Teſtamenti. Nec dubito quin reliquum æui, ſi eum nobis diutiùs fatum ſiue Pro-

uidentia Domini commodaſſet, rebus deſcribendis Eccleſiæ noui Teſtamenti fuiſſet ſimiliter deuoturus. Iam enim veluti viam vniuerſæ terræ ſibi impendentem præſentiens, totus deinceps in his eſſe volebat, quæ ad ſolidam animi pacem tranquillitatémque pertinerent, & ſe mortalem ad piam mortem inſtruerent. Quod vel ex his opuſculis intelliges, in quorum altero non tam diuinorum vatum facta, quàm doctrinam, ita dilucidè explicat, vt qui Prophetas verſaturus eſt, nullum ad intelligendum aut maius aut expeditius cõpendium, quàm huius prælectionem, habeat. Quare priuatim facto periculo, Reipub. intereſſe putaui, ſi eiuſmodi diutiùs tineis & blattis relinquerentur: iiſque decurſis, mihi laudandam eſſe piam Iacobi Chriſtiani præſtantiſſimi Theologi Pariſienſis, & auctori, dum ille viueret, coniunctiſſimi, voluntatem, quòd Exempla apud ſe depoſita cum publico communicata cuperet: & inuitandum Federicum Morellum, vt quam diligentiam præbuiſſet in aliis doctis ſcriptoribus vindicandis, eam noſtro Perionio impenderet. Tuo ve-

rò nomine diuulgatum volui, vt hominem elegantiſſimum & ſapientiſſimum, Præſul eloquentiſſime & doctiſſime, tua authoritate ab improborum criminationibus defendas, ac Prophetarum, in quos quatuor Hebræorum Commentarios Latinè parturimus, vitam réſque præcipias. Vale.

* *

DE PROPHETICA Facultate nonnulla ex Hebræis & Chriſtianis ſcriptoribus.

ANTEQVAM *vitæ réſque actæ Prophetarum explicentur, ne Perionius noſter, qui in illorum numero, Iſraëlem, Moſem, Dauidem, & ſimiles qui futura prædixêre, non poſuit, temerè carpatur, de Prophetiæ facultate pauca diſſerere nobis commodum viſum eſt. Non enim idem eſt, certam futurorum præſenſionem habere, & Prophetam eſſe, cùm modus in animi qualitatibus ſpeciem mutet. Alioqui Diui, qui iam claro æterni illius ſpeculi conſpectu perfruuntur, Prophetarum nomine cenſendi eſſent: cùm præſertim multos venturarum rerum euentus limpidiſſimè contemplentur, ac ſi permitterentur, certò reſpondère poſſent. Videamus igitur quam ob rem Iacob, Dauid, Iob (non enim is rectè Prophetis annumeratus eſt) propriè Prophetæ non ſint: contrà Eſaias, Ieremias, Ezechiel, maximè propriè hanc appellationem ſortiantur. Nimirum diuinarum reuelationum tria ſunt diſtincta genera. Prophetia illa eſt ſpecies, quæ aut in ſomnis fit, aut in vigiliis quidem, ſed cùm humanos ſenſus vates amittit, & diuinos conſequitur, vt Cicero*

loquitur 2. de Diuinat. ſentítque quaſdam imagines, per quas rerum arcanarum & diuinarum conſcius efficitur. Tale quid ſignificabat Ariſtoteles, cùm ex omnibus diuinandi generibus, ſolas diuinationes, quæ per furorem & per inſomnium exiſterent, reciperet. Quod etiam con-
Num.12. *firmat liber Numerorum: Cùm propheta, inquit, veſter fuerit Domini, in viſione ei me patefaciam, in inſomnio eum alloquar. Proinde ſimilitudinum & viſorum frequens apud Prophe-*
Eſa.6. *tas mentio. Vidi Dominum ſedentem in ſolio,*
Apocal.1. *vidi, vidi, &c. Et apud Ioannem, Fui in ſpiritu Dominica die, & audiui poſt me vocem magnam, &c. Reuelatio verò quæ contingit integris ſenſibus, nec ſopitis ſomno vel extaſi, quoniam ſine viſis fit, Prophetia non eſt, ſed potiùs numen, afflatus, illapſus, inſpiratio Dei. Hinc illam non Nebuá, ſed Rúah haccódes Hebræi nominant. Talis erat Dauidis, Iobi, & aliorum, quos Agiographos appellamus, & quorum mentibus, cogitationibus, & linguis, ſpiritus Domini ſine vllis ſpectaculis & imagi-*
2. Reg.23. *nibus inſidebat. Vt de ſe Dauid, dum extrema loqueretur, inquit: Spiritus Domini locutus eſt in me, & ſermocinatio eius in lingua mea: Vt*
2.Para.25. *illum propterea ſacræ literæ virum Dei appellent. Huius ſententiæ aſtipulatores habeo, He-*

bræorum quidem Rabbi Moſe, Ben Maimon libro Nebuchim, R. Abraham initio commentariorum in Ionam, R. Tybbon in ſua Phyſica, R. Dauid præfatione in Pſalmos, R. Leui, libro de præliis domini: Noſtrorum verò, Auguſtinum, Caßiodorum, & Nicolaum. Eſt & aliud genus, quod ἐπιφάνειαν .i. apparitionem, Græci dicunt, cùm verè oculus corporeus re quadam extrinſecus ſubiecta mouetur atque afficitur. Sic enim tres homines ſe Abrahamo obiiecerunt: ſic Moſes rubum ardentem conſpexit: ſic Apoſtoli Moſem & Eliam transformatos contuiti ſunt.

Iſtius generis eſſe viſiones Danielis recentes Hebræi contendunt. Neque enim eum accenſent Prophetarum catalogo, (in quo à Noſtris, atque adeò veritate, diſſentiunt) etſi futura præſenſiſſe fateantur. Fortaſſe quoniam, vt eſt in eius libro, ſedebat in porta, hoc eſt, iuridicundo præerat, nec docebat populum. Quia autem ſpiritu Dei afflante, illum ſcripſiſſe non dubitant, eius librum inter Agiographos referunt, quaſi vtriuſque reuelationis, & huius, quam illapſum diximus appellari, & ἐπιφανείας fuerit particeps. Quanquam dißimulandum non eſt, Prophetiæ vocem latiùs ſæpè in Scriptura accipi pro diuinæ voluntatis interpre-

catione, tranſlatione ex eo ducta, quòd quem-
admodum Propheta, reuelatione Dei homines
futurorum monens, de illius erga ipſos propoſito
concionatur: ita ſacrorum interpres, & vt vo-
cat Magnus Dionyſius, ἱεροφάντωρ, Dei ver-
bum, conſilia atque myſteria populo enuntiat,
2. Pet.1. *quod non rectè fit ſine Domini reuelatione &*
ſpiritu. Exēplum habeo in promptu apud Mo-
Exod.7. *ſem: Aharon (inquit) frater, erit propheta tuus,*
nempe voluntatis conſiliorúmque tuorum inter-
pres diſertiſſimus: ac, ſicuti antè dixerat, oris
vice tibi erit. Quam loquendi formulam imi-
1. Cor.14. *tatus videtur Paulus, dum ait: Qui prophetat,*
hominibus loquitur ad ædificationem, ad ex-
hortationem, ad conſolationem. Nam in ἀνα-
κεφαλαιώσει, in prophetiæ locum interpretatio-
nem ſufficit. Cùm vnuſquiſque (inquit) ve-
ſtrum, pſalmum habet, doctrinam habet, Apo-
calypſim habet, linguam habet, interpretatio-
nem habet, omnia ad ædificationem fiant. Præ-
tereà Prophetiæ nomen ad cultum & laudatio-
1. Cor.11. *nem Dei extenditur, vt cùm Apoſtolus ſcribit,*
mulierem laudantem, aut prophetantem, id eſt,
Deum laudantem non velato capite, deturpare
caput ſuum. Huic enim affine eſt quod legitur
1. Reg.19. *apud Samuelem, Miſit Saul nuncios vt com-*
prehenderent Dauidem: repererunt autem cæ-

tum prophetarum prophetãtium, præſidente Samuele. Ad quem locum R. Kimhi, Prophetantes dicit laudantes, ſecundum Chaldæam paraphraſim: videlicet, hymnos & laudationes Deo dicebant, in ſpiritu ſancto.

Verùm, vt ad inſtitutam de viſionibus propheticis diſputationem redeam, haud diſsimile eſt, quod noſtri Theologi poſt Auguſtinum contra Adamantium, de triplici viſione diſputant. Vnam eſſe dicunt ſenſus, cùm corpora aut ſentimus, aut ſentire videmur, quo modo Baltazar ſcribentis hominis manum vidit, Moſes ignem in rubo. Alteram imaginationis & phantaſiæ, cùm rerum ſeu corporum imagines contuemur, vt euenire ſolet in mentis exceſſu ſeu extaſi, vel in ſomno, vbi non corpora, ſed rerum imagines conſpiciuntur, vt B. Petrus vigilans, linteum quadrupedum, ſerpẽtum, atque volatilium plenum, Rex verò Aegyptiorum dormiẽs, vaccas & ſpicas graciles ſpectauit. Poſtremam intelligentiæ, quando neque corpora, neque ſimulachra corporum cernũtur, ſed quadam mentis ſerenitate ſubleuatus animus ad Deum, & ſubſtantias ſeparatás, media ſapientiæ luce ingreditur. Quo modo Paulus ſenſum omnem & imaginationem ſupergreſſus puro mentis adiectu ad diuinorum & cæleſtium Cap. 28.

contemplationem in tertium cælum raptus ferebatur. Similiter & Moſes, cum quo aduerſa facie Deus cõgreſſus eſt, nempe abſque medio, vt Abben Ezra interpretatur, non Angelo interpoſito, nõ alia re. De his ita etiam philoſophatur
In 19. cap. Exodi. *R. Iſaac, Diuerſitas, ait, eſt viſionum propheticarum. In vno facultas intelligens æſtimãtem vincit: in altero, exiſtimatio intelligẽtiam. Vincente exiſtimatione viſiones, & ſpecies ſunt tãtùm vmbratiles, vt cùm Zacharias videt candelabrum planè aureũ, & hominem inſidẽtem equo rufo, ſtantem inter myrtos, ſubſequẽtibus equis rubeis, grandineis & candidis. Quod de cæteris eius generis viſionibus eodem modo ſentiendum eſt. Intelligentia autẽ ſuperiore, viſiones ſolidæ ſunt & veræ, vt cùm Ezechiel cernit quadrigam, & tres mundos, Angelicum, Cæleſtem, & Elementarem. Cæterùm contemplationis Moſaïcæ alia ratio eſt. Is nullam vidit ſimilitudinem ſiue vmbratilem, ſiue ſolidã,*
Num. 12. *dicente ſcriptura, Aduerſo ore colloquar cum eo, & in aſpectu, non in ænigmatibus. Iam, opinor, intelligis, quorum, quámque diuinorum hominum vitas deſcribere Auctor inſtituat. Lege & perfruere.*

PRIVILEGII SENTENTIA.

REGIA auctoritate cautum eſt, ne quis alius, præter Federicum Morellum, duos hoſce libros de vitis rebúſque geſtis Prophetarum Dei, ac ſanctarum Mulierum veteris Teſtamenti, à Ioachimo Perionio Henrici Gallorum Regis Interprete conſcriptos, ante ſexennium, ab hac prima editione, excudat, néue vendat. Qui ſecus fecerit, libris & pœna in ſanctione æſtimata multabitur. Priuilegium Pariſiis irrogatum ac conſignatum, pridie Cal. Mart. Anno M. D. L I X. ſubſcriptum de conſilij ſententia,

DE LVC.

PROPHETARVM DEI, QVORVM vitæ lib. 1. deſcribuntur, Catalogus.

Iob.	Pagina 1.	Eliezer.	pag.81.
Samuel.	pag. 12.	Eſaias.	pag.81.
Nathan.	pag.22.	Ioël.	pag.86.
Gad.	pag.26.	Michæas Moraſthites, pagina	86.
Ahias.	pag.28.	Oded.	pag.87.
Ioam.	pag.30.	Nahum.	pag.88.
Iehu.	pag.32.	Hieremias.	pag.89.
Azarias.	pag. 33.	Baruch.	pag.104.
Hanani.	pag.34.	Ezechiel.	pag.106.
Michæas.	pag. 35.	Daniel.	pag.112.
Elias.	pag. 38.	Abacuc.	pag.132.
Eliſſæus.	pag.49.	Sophonias.	pag.134.
Amos.	pag.65.	Aggæus.	pag.134.
Abdias.	pag.68.	Zacharias.	pag.136.
Oſee	pag.72.	Eſdras.	pag.139.
Ionas.	pag.74.	Malachias.	pag.147.
Iahaziel.	pag.79.		

SANCTARVM MVLIERVM, QVARVM vitæ altero libro continentur, Index.

Eua.	pagina 148.	Abigaïl.	pag.201.
Sara.	pag.154.	Bethſabee.	pag.203.
Rebecca.	pag.161.	Sara Tobiæ filij vxor, pagina	207.
Lia.	pag.168.	Olda.	pag.214.
Rachel.	pag.172.	Iudith.	pag.217.
Maria.	pag.177.	Eſter.	pag.232.
Debora.	pag.183.	Suſanna.	pag.243.
Noëmi.	pag.188.	Mater 7. fratrum Machab.	pag.249.
Anna.	pag.193.		
Michol.	pag.196.		

DE VITIS REBVSQVE GESTIS PROPHETARVM DEI,

Liber à Ioachimo Periönio Benedictino Cormœriaceno ſcriptus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

IOB PROPHETÆ VITA.

IOB Propheta, qui etiam Iobad, vt ſeptuaginta Interpretes extremo libro ipſius, aut de eo ſcripto, narrant, appellatus eſt, fuit caput quintæ familiæ ab Abrahamo, vt iidem eodem loco tradunt. Abrahamus enim Iſaac, Iſaac Eſau, Eſau ex Baſemath vxore, Iſmaelis filia, Zaram, Zara Iobad, qui etiam Iob vocatus eſt, procreauit. Is etſi inter ſceleſtos facinoroſóſque homines verſabatur, habitabátque in regione, quæ Auſotis, ſiue Hus dicebatur, in finibus Idumeæ: tamen nihil ab eis vitij, nihílque mali quaſi contagione contraxit, ſed ab ineunte ætate vitium declinauit, & virtutem ſecutus eſt, eo animi propoſito, vt nunquam ab officio diſceſſerit, amiſſis etiam iis omnibus, quæ hominibus chariſſima ſunt, facultatibus, ac li-

beris, corporéque toto ſic vlceribus affecto, vt ne amici quidem, eum cernere ſuſtinerent. Quæ quoniam præclariſsima ſunt, valéntque ad maiorem eius laudem, quàm ſi modeſtè ſe in rebus tantùm ſecundis geſsiſſet: ego, vt omnes in aduerſa fortuna, & rebus aduerſis propoſitum ſibi in hoc homine clarum exemplum habeant, conſtitui ſigillatim hæc omnia exponere. Et quoniam non eſt magna laus, nec virtus ſingularis, ſi quis paruas aut mediocres opes amittat, & caſum illum forti animo ferat: hoc intelligẽdum eſt, Iob non obſcurum hominem fuiſſe, aut exiguas mediocréſue habuiſſe facultates. Fuit enim Rex ſecundus regionis Edom, cùm in Belæ, ſiue Balach primi regis locum ſucceſsiſſet. Prædiues autem fuit, vt illis temporibus, quibus hominum opes in gregibus armentíſque poſitæ erant. Itaque diuinis literis, quæ eum locupletem fuiſſe loquuntur, ei ſeptem milia ouium, tria milia camelorum, quingenta iuga boum, quingentáſque aſinas, & maximam familiam fuiſſe mandatum eſt. Ante quàm dico quónam pacto hæc omnia ei erepta ſint, quóque animo eorum amiſſionem tulerit: narrabo quomodo ſe geſſerit rebus ſecundis. Cùm Rex ac princeps, vt dixi, eſſet, tantíſque facultatibus præditus, tamen nec principatu & auctoritate ad ſuorum aut alie-

norum iniurias vt ſuperbus, nec bonis ad libidinẽ abutebatur. Tãta enim æquitate ius dicebat, vt cùm ad portã vrbis procedebat, & in area ei ſedes parabatur, omnes qui eum audiebant & videbãt, cùm ei ſenes cõſurrexiſſent, principéſq; atque optimates deſiiſſent loqui honoris cauſa, beatum eum eſſe ducerent, eiq; teſtimoniũ dicerent liberationis pauperũ clamãtium et pupillorum, quibus patrocinium cõſtitutum erat in nemine. Cauſam quã ignorabat, diligenter inueſtigabat, ne ſi illa ignorata ſententiã tuliſſet: et alteri faceret iniuriã, & ſibi dedecus pareret. Quẽ verò erga pares aut ſuperiores ſe præſtaret, ſiue in cauſis & controuerſiis quæ illi cum eis erant, ſiue aliis in negotiis, hinc intelligi licet, quòd nunquam declinauit iudicium cum ſeruo vel ancilla, ſi quando cum ipſo diſceptare voluiſſent. Tanta porrò in omni vita benignitate, & commiſeratione, quæ cum eo à prima ætate creuerat, fuit præditus, vt nunquam ſolus ſine pupillo fruſtum panis ederit, nunquam pauperibus quod petebant denegauerit, nunquam viduam moratus ſit, nunquam hominem ſine veſte perire viderit, aut deeſſe tunicam pauperi, nunquam denique peregrinũ foris manere paſſus ſit, ſed viatori fores ſuas ſemper patêre voluerit. Itaque & oculus cæci erat, & pes clau-

di, & pater pauperum. Quæ etſi magna ſunt, tamen mirari deſinemus, ſi contemptum diuitiarum qui in eo fuit, cõſideremus. Neque enim in auro poſuit robur ſuum, aut fiduciam ſpémque collocauit: neque multis opibus, cùm eas nactus eſſet, lætatus eſt. Alias virtutes eius exponam. Non ſolùm amicos diligebat, ſed etiam hoſtes & inimicos, ſic vt nunquam rebus aduerſis eorum gauiſus ſit, nunquam in eos dixerit. Pudicitia autem ea erat, & caſtimonia, vt ſi mulier animum ipſius vnquam decepiſſet, aut ipſe inſidias paraſſet ad oſtium amici ſui, quò minùs ſcortum alterius vxor ſua eſſet, non recuſaret. Ea verò integritate animi, innocentia vitæ, & æquitate in omnes, vt ſi deflexiſſet de via, & rem alienam vidiſſet vnquam appetendi animo, aut rem aliquam cuipiam eripuiſſet, optaret quæ ſereret eſſe aliorum, ac perire familiam ſuam. Atque hæc optabat, aut potius hanc conditionem proponebat iis qui coarguere vellent, non prima ætate aut media, vel rebus ſecundis, ſed iam ſenex, & rebus aduerſis, in quibus inuidi, quòd potentiam metuere iam non poſsint, multa comminiſci ſolent. Neque hoc de ſuperiore vita intelligebat, & reliqua mutauit propoſitum, ſed in miſeriis iacens, dum ſpiritum duceret, conſtanti animo nunquam ſe ab inno-

centia vitæ diſceſſurum eſſe, nunquam de mendacio cogitaturum, nũquam ex ore ſuo verbum iniquum exiturum profiteretur. Atque ita ſe ille erga proximos gerebat. Deo autem quem ſe præſtabat, dicendum eſt. Rebus proſperis tot ac tantis, quæ ſæpe beatos & potentes à Dei metu, cultu, ac religione detorquere ſolent, nunquam ſolem, aut lunam, vel ſtellas, aut terram, vt ſolebant ij apud quos & inter quos viuebat, veneratus eſt, ſed ſolum & verum Deum tanta religione, vt cùm Arabiſſam vxorẽ duxiſſet, ex qua filios ſeptem, filias tres ſuſcepiſſet, filiíque inuitatis ſororibus ſuo quiſque die conuiuia darent alij aliis, ipſe veritus ne quid Deo peccaſſent, aut ei animo maledixiſſent, ſoleret, cùm dies in orbem tranſiſſent, eos accerſere, & ad rem diuinam præparare, primáque luce totidem hoſtias, quot erant, immolare. Sequitur, vt de miſeriis, in quas eum Deus non pro ſceleribus ſuis, ſed eius patientiæ probãdæ, aliíſque declarandæ, proponendæque ad imitandum, cauſa, incidere tantas paſſus eſt, quantas nemo complecti animo potuiſſet, dicendum eſſe videatur. Satanas quidem in eum inuidia flagrauit tãta, nocendíque libidine adeò cæcus fuit, vt teſtimonium illum innocentiæ, virtuti atque religioni danti Deo, credere noluerit: ſed illis eius tantis

virtutibus, quaſi non veris, ſed temporis tantùm cauſa, id eſt, propter res ſecundas, cultis, extenuatis, id ita denique ipſum experturum eſſe dixerit, ſi facultates, quibus abundaret, ei eriperentur, atque ex beato miſer fieret. Deus qui athletæ ſui virtutem fortitudinémque cognitam & ſpectatam haberet, Satanæ fecit bonorum eripiendorum liberorúmque interficiendorũ poteſtatẽ. Ille data facultate, cùm maximus natu liberorum cæteris prandium daret, Sabæos impulit, vt impetu facto boues arantes, & aſinas omnes in agris raperent, bubulcóſque omnes interficerent præter vnum, qui calamitatẽ ei nunciatum venit. Quem cùm audiret, alter interuenit, qui oues tactas de cœlo, & pueros conſumptos igni diceret: quo etiam loquente, ingreſſus eſt qui camelos omnes à Chaldæis ablatos, pueróſque interfectos præter vnum ſe nunciaret: iſque finem dicendi nondum fecerat, cùm quartus nũcium ſuperioribus triſtius nũciauit, mortis liberorum omnium, qui cùm in maximi natu ædibus cœnarent aut pranderent, ruina domus oppreſſi fuiſſent. Quid Iob inter tot & tantas, támque crebras clades feciſſe aut dixiſſe, aut quo eas animo tuliſſe exiſtimamus? Forti eas animo tulit, diſciſſa veſte, tonſóque capite ſe proiiciens humi, Deum veneratus eſt, háncque vocem

miſit maximæ fortitudinis & conſtantiæ indicem: Nudus egreſſus ſum ex vtero matris meæ, & nudus eodem reuertar. Dominus dedit, Dominus abſtulit: Sit nomen Domini benedictum. Clarum eſt hoc, & à poſteritate notãdum, fortis patientíſque animi exemplum: ſed quod ſequitur multò eſt & clarius & illuſtrius. Satanas qui hæc damna omnia Iob dederat, eis cõtentus non fuit, (eum enim à conſtantia animi miſeriis certis deiectum vinci poſſe iudicabat) ſed multò grauiora procurauit. Nam cùm Deus illum iactantem ſe obiuiſſe orbem, interrogaſſet, num Iob ſeruum ſuum conſideraſſet, virum probum ac religioſum, quíque retineret innocentiã ſuam, quem tamen illius impulſu fruſtra oppreſſiſſet calamitatibus: reſpondit, pro inuidia ſua, quæ ſatiari niſi exitio non poteſt, cutem alienam pro cute ſua hominem & facultates ſuas ſolitum dare, conſeruandæ vitæ cauſa: quod cùm feciſſet Iob in liberis ac bonis ſuis, nõ magnæ ei laudi dandum eſſe, nec mirum, ſi ipſum non negaſſet, aut vexaſſet maledictis. At ſi corpus eius affligeret morbo, tum denique ipſum ab eo maledicta accepturum eſſe. Deus, qui athletã ſuum non ſuperatum iri malis corporis, ſed victurum aduerſarium ſciret, eius libidini corpus ipſius dedidit, vetans ne quid in eius ſiue animum, qui

ſui arbitrij eſt, ſiue in vitam moliretur. Hac ille accepta poteſtate, prima quaque hora totũ corpus Iob vlcere infecit & afflixit eiuſmodi, vt ne particula quidẽ integra remaneret. Ipſe quid in hac calamitate fecerit aut dixerit, operæprecium eſt cõſiderare, & cognoſcere. Vt primùm ſenſit malum, quaſi expulſus, & ex vrbe & domo, in ſterquilinio ſedens, teſta ſaniem excutiebat. Vxor autem, quæ ei ſola ex tam magna familia relicta, conſolationis cauſa, videbatur, cùm eum tanta animi conſtãtia hanc miſeriam ſummam ferre cerneret, non hoc fortitudini tribuens, ſed ſtupiditati & lẽtitudini, illum quòd etiam ſimplicitatem retineret, obiurgauit, monuitque vt Deum maledictis vexaret, atq; ita moreretur: ſiue, quẽadmodum alij interpretantur, vt ſupplex ab eo peteret, vt à vita migraret, ne langueret diutius. Ipſe, qui ſe ad res aduerſas forti animo tolerandas præparaſſet, eam placidè ſtultarum ritu loquutam eſſe dixit: ſi enim bona à Deo accepiſſent, cur mala non ferrent? Quod verbum ſi in ſimili parique rerum ſtatu vſurparemus: neque ita molles, & effœminati eſſemus, neque de Dei prouidentia quereremur. Nec verò dubium eſt, quin eius dolorem illa vxoris auxerit oratio. Cũ enim in mœrore, aut miſeria verſamur, ſi ij qui cõſolari de-

berent, non dico, ab officio diſcedunt, hoc prætermittentes, ſed aliquid faciunt aut dicunt alienum ab officio: tum profectò, tum inquam, cumulus hoc ipſo accedit ad dolorem ſuperiorem. Sed vehementius etiam eum auxerũt tres amici illius Eliphaz Themanorũ rex, Baldad Suhitarum, & Sophar Naamathitarum. Ii enim cùm accepto tantæ illius calamitatis nũcio, magnis itineribus vnà conſtituto die ex loco, quem communi profectioni conſtituerant, eius conſolandi cauſa veniſſent, primúmque id quod officij erat, eminus eum ita malè affectum conſpicati, non cognouiſſent, deinde propius accedentes cum clamore lachrymas edidiſſent, diſciſſiſque veſtibus puluerem doloris declarandi cauſa capitibus aſperſiſſent, ſediſſentque cum eo ſeptem diebus totidémque noctibus, nec verbum vllum præ dolore, quem eum ferre videbant, facere potuiſſent: tamen cùm ipſe loqui cœpiſſet, atque illi viciſsim reſpondentes, aut differentes, primùm quæ ferret, pro ſceleribus ſuis ferre obieciſſent, deinde audacem & temerarium dicerent, qui ſe Deo compararet, velletque iudicium cum eo ſubire, poſtremò arrogantem appellarẽt, quòd de ſe diceret, tãtáſque virtutes ſibi tribueret, quas nullas aut falſas eſſe ex iis quæ tolerabat, intelligi poſſe dicebant: viciſſim eorũ ſen-

tentiam ita refellit grauiſsimis ponderibus ſententiarum, cùm illos qui conſolādi cauſa veniſſent, & leuandi doloris, ſibi arena grauiores videri dixiſſet, vt nihil habentes quod dicerent, tandem obmutuerint. Eliu verò illis tacentibus partim Iob excuſauit & defendit, partim accuſauit. Quæ illorū de Iob ſententia Deus quàm ſibi diſpliceret, duobus modis docuit: primùm cùm non ſcelerum cauſa de illo à ſe ſumptū ſupplicium dixit, ſed vt Satana ſuperato, conſequeretur gloriam: deinde cùm Eliphaz Themanorum regem obiurgauit, quòd non verè dixiſſet, vt Iob: ob eámque cauſam expiādi ſceleris cauſa ſumerēt, ipſe & ſocij duo, ſeptem tauros, ac totidem arietes, & ſe ad Iob conferrent, quē pro eis cùm immolarent hoſtias precantem ſe audiret. Quod cùm & illi & Iob feciſſent, Deus illis, Iob precibus adductus, ignouit. Qua in re Iob & amor ac charitas eluxit, qui pro malè de ſe exiſtimantibus, & in ſe dicentibus, precatus eſt, & gloria maxima, qui contemptus non ſolùm ab alienis, verùm etiam à ſuis, dignus eſt habitus, quîcum Deus in colloquium veniret. Nec verò illius eiuſmodi tolerantia & patientia hāc vnam gloriam cōſequuta eſt, ſed quæ Dei conceſſu Satanas ei ſimpla eripuerat, ei dupla reſtituta ſunt omnia, oues, cameli, iuga boum, &

aſinæ. Vixit etiam poſt has miſerias centum & quadraginta annis fœlix & beatus, generauítque ſeptem filios, & filias tres. Qua quidem in duplicata rerum copia & abundantia, non moroſus & difficilis, ſuperbúſque ac ſeuerus in eòs qui ipſum rebus aduerſis neglexiſſent, aut contempſiſſent, illos aditu, colloquio, ſalutatione indignos iudicãs, aut prætermiſſionem officiorum obiiciens, aut vlturum ſe iniurias promittẽs: ſed commodos mores retinens, fratres, ſorores, propinquos, eóſque omneis, qui ei aliqua de cauſa noti erant, venientes, cùm mutata ei omnia in melius accepiſſent, comiter excepit, & accepit ab eis exigua munera, id eſt, ab vnoquoq; ouem vnam, & inaurem auream vnam, quibus tum, vt omnes intelligunt, carere potuiſſet, ſed accepit, ne rebus proſperis elatus, ipſos contemnere videretur. Sermo ab illo cum amicis habitus, quoniam in libro qui eius nomine inſcriptus extat, continetur, non neceſſe habui cum hoc loco exponere. Hoc tantùm ſatis erit intelligi, eum ab illo habitum eſſe magna ex parte, de humanæ vitæ miſeriis, de Dei prouidentia & potentia, de vita ſua ſuperiore, quam præclarã ſanctámque egiſſet, de improborum ſuppliciis, de præmiis bonorum & gloria. Prædixit etiam multa de generali corporum reſurrectione, quæ illius ſcr-

monis particula me maximè impulit, vt eum in Prophetarum numerum aſcribens, eius vitam inter Prophetarum vitas ſcriberem: quam propterea primam poſui, quòd multis ſeculis cæteros anteceſſerit.

SAMVELIS PROPHETAE VITA.

SAMVEL *Vates ſiue Propheta, Elcana Annáque parẽtibus, ita natus eſt. Cùm Elcana ipſe vxores duas, id quod tum licebat, accepiſſet, Annam, & Phenennam, Phenenna quæ liberos peperiſſet, Annæ vt probrum obiiciebat ſterilitatem. Anna, quæ diuini conſilij ignara eſſet, æmulæ conuiciis maledictíſque permota erumpebat in lachrymas, nec capiebat cibum, quotãnis ſtatis diebus, quibus Elcana domo, id eſt, ex monte Ephraimo, in Silo, vbi Dei arca locata erat, ſolenne iter venerationis, ſacrificiiq; cauſa faciebat cum liberis & vxoribus. Is cognita doloris mœroríſque Annæ cauſa, eam conſolari cœpit, cùm illi ſe decem liberis meliorem eſſe dixiſſet. Illa, etſi leuamentũ doloris tantum ex hac viri conſolatione ſenſit, vt cibum caperet, tamen intelligens Deum vnũ eſſe, qui ſibi planè dolorẽ adimere poſſet, cum lachry-*

mis votum nuncupans, eum ibi rogare ſecum in animo cœpit, vt ſe reſpiceret, ſibíque daret filiū, quem ipſi per omne tempus ætatis conſecraret. Heli qui quòd labra mouētem videbat, nō vocē illius exaudiebat, temulentam eam putaret, partim obiurgabat ipſam, partim monebat, vt vinum quo madêret, concoqueret: cùm ea negare, ſe vino ad illud diei tempus vſam, cœpit: ſe enim miſeram Deum precatā eſſe triſti animo. Cùm Heli ei beneprecatus, illam ita dimiſiſſet, vt quod optaret ac peteret, conſequeretur: vterque veneratus Deum domum rediit, atque paulò pòſt Anna Dei munere concepit, peperítque Samuli hūc, cuius vitam ſcribimus. Triennio pòſt, cùm ablactatus eſſet, eadem & voti, quo ſe obſtrinxerat, memor, et beneficij quod acceperat à Deo, illū cum hoſtiis ſolennibus Deo obtulit, ſeque Heli ſacerdoti mulierem eſſe, quæ pueri illius impetrādi cauſa Deum nuper rogaſſet, ob eámque cauſam illum ei cōſecraret, indicauit. Nec ſolùm Deo puerum conſecrauit, ſed multis etiam verbis ei egit gratias, maximíſque illum, ac veriſſimis extulit laudibus. Relicto puero, qui ſemper Deo miniſtraret, ipſa cum viro domum rediit. Ibi Samuelis ita gratum Deo officium fuit, vt eum ad munus vaticinationis prædictioníſque rerum futurarum, quam

prophetiam vocamus, à prima ætate hoc modo vocauerit. Heli ſacerdos liberos duos Ophni & Phinees, quoniam ſenex erat, ſacerdotes, quod tum munus apud Iudæos inſtituto diuino ſumma poteſtate & auctoritate valebat, præfecerat. Ii in illo munere, ea quæ immolabātur, ſibi contra Dei imperiū ſumebant, & præterea rebus venereis vtebantur. Quod cùm Heli pater eorum reſciuiſſet, verbo tantùm, non re, eos correxit. Itaque iſtam eius in liberos indulgentiam Deus, ita ingratam atque adeò exoſam habuit, vt per prophetam, cuius nomen non eſt proditum literis, ei ſignificauerit, fore, vt duo eius liberi, Ophni & Phinees, vno die morerētur, quòd plus eis, quàm ſibi, honoris tribuiſſet: excitarétq; ſibi ſacerdotem fidelē, qui in omnibus quæ faceret, ſibi morem gereret. Hanc vatis prædictionem paulò pòſt ſequuta eſt Samuelis creatio. Cùm enim penè puer in templo, haud procul à latere Heli ſacerdotis, dormiret, ter à Deo vocatus eſt: expergefactúſque, cùm ab Heli ſe accerſitum putaret, toties ſe præſto eſſe reſpondit. Heli qui rem ignoraret, toties eum dormitum remiſit, ſed tertiò cùm illum à Deo vocatum eſſe cognoſceret, iuſsit eum dicere Deo, ſe paratum eſſe ad audiendum, itaque loqueretur. Hæc dicenti Samueli, Deus ea omnia comme-

moravit de Heli, quæ ei per vatem, vt iam dixi, prædixerat. Non imperauerat ei Deus, vt Heli hæc omnia exponeret: ſed ab illo verbis quibuſdam, quæ iuriſiurandi religionem continebãt, vt ita dicam, adiuratus, expoſuit. Hinc fama longè latéque peruagata eſt, fidelem Dei prophetam eſſe Samuelem. Heli autem nec ita multò pòſt mortuo, præterea ſacerdos fuit & iudex, qui ſummus erat apud Hebræos magiſtratus. Eum ſumma cum integritate geſſit, totius populi cõfeſſione & teſtimonio. Cùm enim conſtituto, vt petierat, rege, in conſpectu omnium liberè loquendi feciſſet poteſtatem, num bouem cuiuſquam abſtuliſſet, aut cuiquam aſinum eripuiſſet, aut aliquem calumnia vel vi oppreſſiſſet, aut munus à quopiã accepiſſet, vt ſi quis teſtificaretur, ipſe redderet: omnes negauerunt, eiúſque rei produxerũt teſtem Deum. Quæ quidem vox, vt digna eſt omnibus, qui publicum aliquod munus & negotium gerũt, ſic vtinam ab illis verè vſurparetur cum populi teſtimonio, & confeſſione coniuncta. Eundem ſe in adminiſtrando gerendóque põtificatu præſtitit. Nam cùm ſit pontificis ſacrũ facere, precaríque Deum pro populo, eius preces populus ita ſemper & Deo acceptas, & ſibi vtiles ſenſit, vt ad extremum, cùm ei ipſe expoſuiſſet, quàm grauiter, pe-

tens ſibi dari regem, Deum offendiſſet, tum populus ab eo maiorem in modum ſupplex petierit, vt pro ſe Deum rogaret, ne moreretur: ipſe tum, illo multis verbis confirmato, hanc vocem pontifice digniſsimam miſerit, Deus prohibeat, ne tam grauiter ſibi peccem, vt pro vobis precandi finem faciam, docendíque vos viam ad virtutem ferẽtem. Sed de his ſigillatim aliquid dicendum eſt. Deus quidem quotieſcunque populum ſuum, id eſt, Iſraëliticum, cõtempto ſe ad deorum cultum religionémque verti cognouit, eius auocandi & abſtrahendi cauſa, hoſtes ſemper ei parare ſolitus eſt, qui illum opprimerent, vt vel malo coactus, neglecta, ſpretáque deorum religione, imploraret fidem ſuam. Id quod ſæpe à me demonſtratum eſt in libro, quem ſcripſi de Vitis Patriarcharum. Hoc etiam conſilio Palæſtinos Heli ſacerdote in illum concitauit, quòd deos peregrinos, maximéque eum qui Aſtaroth dicebatur, coleret atque retineret. Illi autem conceſſu Dei ob tale crimen triginta milia peditum, duóſque Heli filios Ophni & Phinees interfecerunt, capta etiã Dei arca, quam præſidij cauſa ex Silo in locum, in quo pugnandum erat, portandam curauerant. Anno verò viceſimo poſt arcam captam, cùm reſtituta eſſet à Palæſtinis propter clades, quibus opprimebantur,

bantur, quęcunque in locum ſuum eam tranſtuliſſent: Samuel qui cauſam calamitatis, quæ accepta erat in bello, intelligeret, vniuerſum populũ admonuit, vt ſi planè ex animo ad Deum redirent omnes, iam deos peregrinos & Aſtaroth de medio tollerẽt, Deóque animos ſuos præpararent, & ſolum eum colerent: ſic enim fore, vt ipſos è faucibus ac poteſtate Palæſtinorum eriperet. Aſſenſi ſunt omnes Samueli, deiectíſque & ſublatis peregrinis diis, in iis Baalim & Aſtaroth, Deum ſolum coluerũt. Hinc in Maſphat eos omnes iuſſit conuenire, vt pro ipſis Deum precaretur. Eò cùm veniſſent, hauſtam aquam in conſpectu Dei effuderunt, ieiunióque illo die ſeruato, ſe Deo peccaſſe profeſſi ſunt. Palæſtini cùm primùm Iudæos eò conueniſſe intellexiſſent, in eos venerunt præfecti, infeſto exercitu, tantáque ex eo apud Iudæos ſequuta trepidatio eſt, vt ſtatim cum Samuele egerint, vt nullum faceret rogandi Dei finem, quoad à Palæſtinis eſſent liberati. Ipſe lactẽtem agnum vſtum integrum primò immolauit Deo, deinde eum pro Iſraele precatus eſt. Deus autem illum apertè audiuit. Nam cùm, illo ſacrum faciente, Palæſtini in Iudæos impetum feciſſent, Deus eos fragore tonitrui exterritos Iudæis cædendos tradidit. Hac clade ita repreſſi afflictiq;

ſunt, vt nunquam poſtea viuo Samuele in Iudæorum fines auſi ſint irrūpere: hinc vrbes quas ceperant, malo coacti, vt pacem cum Iudæis facerent, reddiderunt. Atque hæc ipſe munera quãdiu per ætatem licuit, ſuſtinuit. Cùm autem ſenex iudicandi munere fungi non poſſet, liberos ſuos Ioelem & Abiam Iudices creauit. Ii cùm patrem non imitarentur, ſed ob iudicandum pecuniam & munera acciperẽt, maiores natu Iudæorum ad eum adierunt, petẽtes, vt quoniam ſenuerat ipſe, liberíque ſui eum non imitabãtur, regem ſibi daret & cõſtitueret, quo iudice vterentur. Samuelem vox iſta offendit, ob eámque cauſam Deum ſibi conſulendum cenſuit. Deus illum facere iuſsit, quod petiiſſent: neque enim eum ab illis, ſed ſe abiectum repudiatúmque eſſe, ne ipſis præeſſet. Saulémque Cis filium, quem regem vngeret ac crearet, indicauit. Eum cùm inueniſſet, quoniam maximum quemque ab humero magnitudine corporis ſuperabat, vniuerſum populum monuit, vt videret, ei quem elegiſſet Deus ſimilem eſse neminẽ. Populum autem, cùm vitam clamore nouo regi ſe optare ſignificaſset, regni lege recitata, mandatáque literis, ac repoſita in tabernaculo, dimiſit. Hĩc beneficiorum diuinorum, quæ & ipſi & patres eorum ſemper neglexiſsent, commemoratione,

eis expoſuit, quàm graue ſcelus admiſiſſet, cùm regem petiuiſsent. Quod quò faciliùs intelligerent, fragores auditi ſunt, & effuſa pluuia eius rogatu, ſicuti illis fore prædixerat: qua tam noua re & inuſitata perterriti, egerunt cum illo, vt Deum rogaret, ne morerentur, quòd ſe petendo regẽ graue ſcelus admiſiſse faterentur. Ipſe multis verbis, vt bono animo eſset, neque timerent, hortatus eſt. Eos enim grauiter quidẽ peccaſse, non tàmen Deum deſerere oportere, ſed colere eum omni animi ſtudio & contentione, ſpreto contemptóque peregrinorum deorum cultu, qui cùm inanes vaníque eſsent, illos malis liberare non poſsent. Sic enim fore, vt ipſos Deus non deſereret, propter nomen ſuum magnũ, cùm præſertim iureiurando confirmaſset, eos ſibi populum eſse facturum. Quòd ſi pergerent peccare, & illos, & regẽ ipſorum, eſse perituros. Saul rex paulò pòſt contra Dei præceptum, cùm Samuel intra ſeptimũ diem, quo ſe adfuturum dixerat, non veniſset, Iudæique metu Palæſtinorum innumerabilium, qui ad prælium venerãt, dilaberentur, hoſtias immolauerat, cùm Samuel ipſe interueniens grauiter eum obiurgauit, prædixítque illi regni ſui adeſse terminum, atque in eius locum ſucceſsurum virum, qui Deo gratus foret. Iterum ipſe Sauli ob eandẽ cauſam, finem

regni, aut interitum potius, vt vates Dei nunciauit. Amalecitæ Iudæis ex AEgypto decedentibus reſtiterant, quorum iniurias cùm per Saulem vlciſci Deus inſtituiſſet, Samuelem ad eum miſit, qui imperaret, vt comparato ingenti exercitu, Amalecitas réſque eorum omnes penitus deleret. At ille Agag regi capto pepercit, armentáque & greges, ac res omnes quæ alicuius precij erant, reſeruauit. Hinc Deus Samueli dixit, ægrè ſe ferre ac pœnitere, quòd Saulem, qui præcepta ſua contemneret, creaſſet regem. Ex his Dei verbis, réque quam Saul perfecerat, tantum animo dolorē cepit Samuel, vt reliquam noctis partē in clamore precibúſque conſumpſerit: prima autem luce magnis itineribus ad Saulem cōtendit, quem cùm ſeuerè obiurgaret, commemoratis Dei in ipſum beneficiis, quòd iterum Deo non paruiſſet, íſque contrà obediſſe illi ſe contenderet, ac tantùm reſeruaſſe populum opima ſpolia, vt ex iis immolaret Deo: ipſe Deum non victimas optare dixit, ſed velle potius obediri ſibi ac præceptis ſuis: Meliorem enim eſſe obedientiam, quàm victimas. Itaque hoc intelligeret, ac ſibi perſuaderet, quòd ipſe abieciſſet Deum, à Deo etiam ſe abiectum eſſe, ne regia iam poteſtate præeſſet. Cùm Saul ſe peccaſſe fateretur, & Deo & ipſi, metu populi, rogarétque

illum, vt peccatum ſuum etiam ferret, ac reuerteretur ſecum, adorandi Dei cauſa: negarétque Samuel id ſe eſſe facturum, quòd præceptum Dei contempſiſſet, ob eámque cauſam illum Deus contemneret, ne iam rex Iudæis præeſſet: apprehendit ſummam pallij partem eius abeuntis, tanta vi, vt diſciſſa ſit: ex quo quaſi augurio Samuel, diſciſſum à Deo regnum ipſius dixit, eóque meliori traditum. Cùm ille iterum ſe peccaſſe fateretur, Samuelémque rogaret, vt ſibi honorem tribueret in conſpectu principum ac populi ſui, redirétque ſecum, vt Deum veneraretur: eum ſequutus eſt, regémque Agag obeſiſſimum diſcerpſit, cum his verbis, Vt gladius tuus matres liberis priuauit: ſic inter mulieres erit ſine liberis mater tua. Inde Samuel domum in Ramatha rediit, nec ex eo die vidit Saulem, cuius tamen vicem & caſum dolebat. Dolentem Deus obiurgauit, quærens quouſque illum lugeret, quem ex regno expuliſſet. Itaque oppleret cornu oleo, vt ipſum ad Iſai Bethlehemitanum mitteret, cuius filium regem ipſe delegiſſet. Cùm rogaret, quî ire poſſet, quin à Saule cùm reſciuiſſet, quàm primùm occideretur: viam rationémque docuit, qua facilè illius furorē vitaret. Ita deniq; bonæ ſpei plenus diligēter & officiosè mandatum Dei curatum perrexit, Daui-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

démque regem vnxit à Deo ſibi declaratũ & oſtenſum. His præclarè ſanctéque geſtis omnibus, Samuel in Ramatha domi ſuæ, in ſenectute ſanctiſsima, à vita migrauit: quod cùm accepiſſent Iudæi, vniuerſi conuenientes eum luxerũt, ibíque ſepelierunt. Si ordinem ſequimur eorum, quæ primo libro Regum ſcripta ſunt, ante Saulis mortem, regníque Dauidis principium, ſiue initum ab eo regnum & magiſtratũ, exceſsiſſe è vita videbitur: Sin rationem habemus eorum, quæ priore libro Paralipoménωn prodita ſunt memoriæ, Dauidem & Samuelem videntem, id eſt, prophetam, ducentos duodecim ianitores qui ibi enumerãtur, delegiſſe, id quod viuo Saule feciſſe non videntur, non ante Saulis mortem diſceſsit à vita.

NATHAN PROPHETA.

NATHAN *Propheta fuit Dauide rege, ex tribu Thoc, vt ait Epiphanius, qui etiam ſcribit eum Gabathanum fuiſſe, ac prænouiſſe graue flagitium quod Dauid rex cum Berſabee admiſſurus erat, magníſque itineribus ex Gabath Hieroſolyma, Regis à tali facinore arcendi cauſa venientem, impeditum à facinoroſo*

homine, qui hominem interfecerat, quē nudum humi iacentem cùm inueniſſet, eius ſepeliendi cauſa ibi manſiſſe, ne à feris deuoraretur: eundémq; illa ipſa nocte cognouiſſe, à Dauide illud admiſſum eſſe flagitium, ob eámq; cauſam cum mœrore in Gabath rediiſſe: atque vt primùm Vrias vir Berſabee à Dauide interfectus eſſet, illum ad ipſum, quem reprehēderet, miſſum eſſe à Deo. Atque hæc ſunt, quæ de Nathan Epiphanius ſcribit. Quæ autem de eo literis diuinis mandata ſunt, ipſe dicam. Dauid rex arcam Dei maximo cum honore ac veneratione, adhibitis omnium generum inſtrumentis muſicis, adiunctíſque triginta milibus delectorum hominum, primùm domū Obededom, propter repentinam Ozæ mortem qui eam attigerat: deinde cùm arcæ cauſa illi omnia proſperè euenire intellexiſſet, domum ſuam ducendam curauerat: paulò pòſt idem, qui indignum exiſtimaret, ſe in ædibus cedrinis habitare, arcam autem Dei ſub pellibus, id eſt, in tabernaculo, Nathan in conſilium adhibuit, eíque rem illam expoſuit. Nathan primùm, qui nondum Dei conſilium cognitum haberet, ei quod de re illa ſtatuiſet, faciendum eſſe cenſuit. Deinde nocte, quæ diem illū ſequuta eſt, Deus ei præcepit, vt ad Dauidem adiens illi exponeret, non ab ipſo ædifican-

monis particula me maximè impulit, vt eum in Prophetarum numerum aſcribens, eius vitam inter Prophetarum vitas ſcriberem: quam propterea primam poſui, quòd multis ſeculis cæteros anteceſſerit.

SAMVELIS PROPHETAE VITA.

SAMVEL *Vates ſiue Propheta, Elcana Annáque parẽtibus, ita natus eſt. Cùm Elcana ipſe vxores duas, id quod tum licebat, accepiſſet, Annam, & Phenennam, Phenenna quæ liberos peperiſſet, Annæ vt probrum obiiciebat ſterilitatem. Anna, quæ diuini conſilij ignara eſſet, æmulæ conuiciis malediĉtiſque permota erumpebat in lachrymas, nec capiebat cibum, quotãnis ſtatis diebus, quibus Elcana domo, id eſt, ex monte Ephraimo, in Silo, vbi Dei arca locata erat, ſolenne iter venerationis, ſacrificiiq; cauſa faciebat cum liberis & vxoribus. Is cognita doloris mœroriſque Annæ cauſa, eam conſolari cœpit, cùm illi ſe decem liberis meliorem eſſe dixiſſet. Illa, etſi leuamentũ doloris tantum ex hac viri conſolatione ſenſit, vt cibum caperet, tamen intelligens Deum vnũ eſſe, qui ſibi planè dolorẽ adimere poſſet, cum lachry-*

mis votum nuncupans, eum ibi rogare ſecum in animo cœpit, vt ſe reſpiceret, ſibíque daret filiũ, quem ipſi per omne tempus ætatis conſecraret. Heli qui quòd labra mouêtem videbat, nõ vocẽ illius exaudiebat, temulentam eam putaret, partim obiurgabat ipſam, partim monebat, vt vinum quo madêret, concoqueret: cùm ea negare, ſe vino ad illud diei tempus vſam, cœpit: ſe enim miſeram Deum precatã eſſe triſti animo. Cùm Heli ei beneprecatus, illam ita dimiſiſſet, vt quod optaret ac peteret, conſequeretur: vterque veneratus Deum domum rediit, atque paulò pòſt Anna Dei munere concepit, peperítque Samuli hũc, cuius vitam ſcribimus. Triennio pòſt, cùm ablactatus eſſet, eadem & voti, quo ſe obſtrinxerat, memor, et beneficij quod acceperat à Deo, illũ cum hoſtiis ſolennibus Deo obtulit, ſeque Heli ſacerdoti mulierem eſſe, quæ pueri illius impetrãdi cauſa Deum nuper rogaſſet, ob eámque cauſam illum ei cõſecraret, indicauit. Nec ſolùm Deo puerum conſecrauit, ſed multis etiam verbis ei egit gratias, maximíſque illum, ac veriſſimis extulit laudibus. Relicto puero, qui ſemper Deo miniſtraret, ipſa cum viro domum rediit. Ibi Samuelis ita gratum Deo officium fuit, vt eum ad munus vaticinationis prædictioníſque rerum futurarum, quam

prophetiam vocamus, à prima ætate hoc modo vocauerit. Heli ſacerdos liberos duos Ophni & Phinees, quoniam ſenex erat, ſacerdotes, quod tum munus apud Iudæos inſtituto diuino ſumma poteſtate & auctoritate valebat, præfecerat. Ii in illo munere, ea quæ immolabātur, ſibi contra Dei imperiū ſumebant, & præterea rebus venereis vtebantur. Quod cùm Heli pater eorum reſciuiſſet, verbo tantùm, non re, eos correxit. Itaque iſtam eius in liberos indulgentiam Deus, ita ingratam atque adeò exoſam habuit, vt per prophetam, cuius nomen non eſt proditum literis, ei ſignificauerit, fore, vt duo eius liberi, Ophni & Phinees, vno die morerētur, quòd plus eis, quàm ſibi, honoris tribuiſſet: excitarétq; ſibi ſacerdotem fidelē, qui in omnibus quæ faceret, ſibi morem gereret. Hanc vatis prædictionem paulò pòſt ſequuta eſt Samuelis creatio. Cùm enim penè puer in templo, haud procul à latere Heli ſacerdotis, dormiret, ter à Deo vocatus eſt: expergefactúſque, cùm ab Heli ſe accerſitum putaret, toties ſe præſto eſſe reſpondit. Heli qui rem ignoraret, toties eum dormitum remiſit, ſed tertiò cùm illum à Deo vocatum eſſe cognoſceret, iuſsit eum dicere Deo, ſe paratum eſſe ad audiendum, itaque loqueretur. Hæc dicenti Samueli, Deus ea omnia comme-

morauit de Heli, quæ ei per vatem, vt iam dixi, prædixerat. Non imperauerat ei Deus, vt Heli hæc omnia exponeret: ſed ab illo verbis quibuſdam, quæ iuriſiurandi religionem continebãt, vt ita dicam, adiuratus, expoſuit. Hinc fama longè latéque peruagata eſt, fidelem Dei prophetam eſſe Samuelem. Heli autem nec ita multò pòſt mortuo, præterea ſacerdos fuit & iudex, qui ſummus erat apud Hebræos magiſtratus. Eum ſumma cum integritate geſſit, totius populi cõfeſſione & teſtimonio. Cùm enim conſtituto, vt petierat, rege, in conſpectu omnium liberè loquendi feciſſet poteſtatem, num bouem cuiuſquam abſtuliſſet, aut cuiquam aſinum eripuiſſet, aut aliquem calumnia vel vi oppreſſiſſet, aut munus à quopiã accepiſſet, vt ſi quis teſtificaretur, ipſe redderet: omnes negauerunt, eiúſque rei produxerũt teſtem Deum. Quæ quidem vox, vt digna eſt omnibus, qui publicum aliquod munus & negotium gerũt, ſic vtinam ab illis verè vſurparetur cum populi teſtimonio, & confeſſione coniuncta. Eundem ſe in adminiſtrando gerendóque põtificatu præſtitit. Nam cùm ſit pontificis ſacrũ facere, precaríque Deum pro populo, eius preces populus ita ſemper & Deo acceptas, & ſibi vtiles ſenſit, vt ad extremum, cùm ei ipſe expoſuiſſet, quàm grauiter, pe-

*tens ſibi dari regem, Deum offendiſſet, tum po-
pulus ab eo maiorem in modum ſupplex petie-
rit, vt pro ſe Deum rogaret, ne moreretur: ipſe
tum, illo multis verbis confirmato, hanc vocem
pontifice digniſſimam miſerit, Deus prohibeat,
ne tam grauiter ſibi peccem, vt pro vobis pre-
candi finem faciam, docendíque vos viam ad
virtutem ferẽtem. Sed de his ſigillatim aliquid
dicendum eſt. Deus quidem quotieſcunque po-
pulum ſuum, id eſt, Iſraëliticum, cõtempto ſe ad
deorum cultum religionémque verti cognouit,
eius auocandi & abſtrahendi cauſa, hoſtes ſem-
per ei parare ſolitus eſt, qui illum opprimerent,
vt vel malo coactus, neglecta, ſpretáque deo-
rum religione, imploraret fidem ſuam. Id quod
ſæpe à me demonſtratum eſt in libro, quem ſcri-
pſi de Vitis Patriarcharum. Hoc etiam conſi-
lio Palæſtinos Heli ſacerdote in illum concita-
uit, quòd deos peregrinos, maximéque eum qui
Aſtaroth dicebatur, coleret atque retineret. Illi
autem conceſſu Dei ob tale crimen triginta mi-
lia peditum, duóſque Heli filios Ophni & Phi-
nees interfecerunt, capta etiã Dei arca, quam
præſidij cauſa ex Silo in locum, in quo pugnan-
dum erat, portandam curauerant. Anno verò
viceſimo poſt arcam captam, cùm reſtituta eſ-
ſet à Palæſtinis propter clades, quibus opprime-
bantur,*

bantur, quęcunque in locum ſuum eam tranſtuliſſent: Samuel qui cauſam calamitatis, quæ accepta erat in bello, intelligeret, vniuerſum populũ admonuit, vt ſi planè ex animo ad Deum redirent omnes, iam deos peregrinos & Aſtaroth de medio tollerẽt, Deóque animos ſuos præpararent, & ſolum eum colerent: ſic enim fore, vt ipſos è faucibus ac poteſtate Palæſtinorum eriperet. Aſſenſi ſunt omnes Samueli, deiectíſque & ſublatis peregrinis diis, in iis Baalim & Aſtaroth, Deum ſolum coluerũt. Hinc in Maſphat eos omnes iuſſit conuenire, vt pro ipſis Deum precaretur. Eò cùm veniſſent, hauſtam aquam in conſpectu Dei effuderunt, ieiunióque illo die ſeruato, ſe Deo peccaſſe profeſſi ſunt. Palæſtini cùm primùm Iudæos eò conueniſſe intellexiſſent, in eos venerunt præfecti, infeſto exercitu, tantáque ex eo apud Iudæos ſequuta trepidatio eſt, vt ſtatim cum Samuele egerint, vt nullum faceret rogandi Dei finem, quoad à Palæſtinis eſſent liberati. Ipſe lactẽtem agnum vſtum integrum primò immolauit Deo, deinde eum pro Iſraele precatus eſt. Deus autem illum apertè audiuit. Nam cùm, illo ſacrum faciente, Palæſtini in Iudæos impetum feciſſent, Deus eos fragore tonitrui exterritos Iudæis cædendos tradidit. Hac clade ita repreſſi afflictiq;

ſunt, vt nunquam poſtea viuo Samuele in Iudæorum fines auſi ſint irrūpere: hinc vrbes quas ceperant, malo coacti, vt pacem cum Iudæis facerent, reddiderunt. Atque hæc ipſe munera quādiu per ætatem licuit, ſuſtinuit. Cùm autem ſenex iudicandi munere fungi non poſſet, liberos ſuos Ioelem & Abiam Iudices creauit. Ii cùm patrem non imitarentur, ſed ob iudicandum pecuniam & munera acciperēt, maiores natu Iudæorum ad eum adierunt, petētes, vt quoniam ſenuerat ipſe, liberíque ſui eum non imitabātur, regem ſibi daret & cōſtitueret, quo iudice vterentur. Samuelem vox iſta offendit, ob eámque cauſam Deum ſibi conſulendum cenſuit. Deus illum facere iuſsit, quod petiiſſent: neque enim eum ab illis, ſed ſe abiectum repudiatúmque eſſe, ne ipſis præeſſet. Saulémque Cis filium, quem regem vngeret ac crearet, indicauit. Eum cùm inueniſſet, quoniam maximum quemque ab humero magnitudine corporis ſuperabat, vniuerſum populum monuit, vt videret, ei quem elegiſſet Deus ſimilem eſse neminē. Populum autem, cùm vitam clamore nouo regi ſe optare ſignificaſset, regni lege recitata, mandatáque literis, ac repoſita in tabernaculo, dimiſit. Hinc beneficiorum diuinorum, quæ & ipſi & patres eorum ſemper neglexiſsent, commemoratione,

eis expoſuit, quàm graue ſcelus admiſiſſet, cùm regem petiuiſſent. Quod quò faciliùs intelligerent, fragores auditi ſunt, & effuſa pluuia eius rogatu, ſicuti illis fore prædixerat: qua tam noua re & inuſitata perterriti, egerunt cum illo, vt Deum rogaret, ne morerentur, quòd ſe petendo regẽ graue ſcelus admiſiſſe faterentur. Ipſe multis verbis, vt bono animo eſſet, neque timerent, hortatus eſt. Eos enim grauiter quidẽ peccaſſe, non tamen Deum deſerere oportere, ſed colere eum omni animi ſtudio & contentione, ſpreto contemptóque peregrinorum deorum cultu, qui cùm inanes vaníque eſſent, illos malis liberare non poſſent. Sic enim fore, vt ipſos Deus non desereret, propter nomen ſuum magnũ, cùm præſertim iureiurando confirmaſſet, eos ſibi populum eſſe facturum. Quòd ſi pergerent peccare, & illos, & regẽ ipſorum, eſſe perituros. Saul rex paulò pòſt contra Dei præceptum, cùm Samuel intra ſeptimũ diem, quo ſe adfuturum dixerat, non veniſſet, Iudæíque metu Palæſtinorum innumerabilium, qui ad prælium venerãt, dilaberentur, hoſtias immolauerat, cùm Samuel ipſe interueniens grauiter eum obiurgauit, prædixítque illi regni ſui adeſſe terminum, atque in eius locum ſucceſſurum virum, qui Deo gratus foret. Iterum ipſe Sauli ob eandẽ cauſam, finem

regni, aut interitum potius, vt vates Dei nunciauit. Amalecitæ Iudæis ex AEgypto decedentibus reſtiterant, quorum iniurias cùm per Saulem vlciſci Deus inſtituiſset, Samuelem ad eum miſit, qui imperaret, vt comparato ingenti exercitu, Amalecitas, réſque eorum omnes penitus deleret. At ille Agag regi capto pepercit, armentáque & greges, ac res omnes quæ alicuius precij erant, reſeruauit. Hinc Deus Samueli dixit, ægrè ſe ferre ac pœnitere, quòd Saulem, qui præcepta ſua contemneret, creaſset regem. Ex his Dei verbis, réque quam Saul perfecerat, tantum animo dolorē cepit Samuel, vt reliquam noctis partē in clamore precibúſque conſumpſerit: prima autem luce magnis itineribus ad Saulem cōtendit, quem cùm ſeuerè obiurgaret, commemoratis Dei in ipſum beneficiis, quòd iterum Deo non paruiſset, íſque contrà obediſse illi ſe contenderet, ac tantùm reſeruaſse populum opima ſpolia, vt ex iis immolaret Deo: ipſe Deum non victimas optare dixit, ſed velle potius obediri ſibi ac præceptis ſuis: Meliorem enim eſse obedientiam, quàm victimas. Itaque hoc intelligeret, ac ſibi perſuaderet, quòd ipſe abieciſset Deum, à Deo etiam ſe abiectum eſse, ne regia iam poteſtate præeſset. Cùm Saul ſe peccaſse fateretur, & Deo & ipſi, metu populi, rogarétque

illum, vt peccatum ſuum etiam ferret, ac reuerteretur ſecum, adorandi Dei cauſa: negarétque Samuel id ſe eſſe facturum, quòd præceptum Dei contempſiſſet, ob eámque cauſam illum Deus contemneret, ne iam rex Iudæis præeſſet: apprehendit ſummam pallij partem eius abeuntis, tanta vi, vt diſciſſa ſit: ex quo quaſi augurio Samuel, diſciſſum à Deo regnum ipſius dixit, eóque meliori traditum. Cùm ille iterum ſe peccaſſe fateretur, Samuelémque rogaret, vt ſibi honorem tribueret in conſpectu principum ac populi ſui, rediretque ſecum, vt Deum veneraretur: eum ſequutus eſt, regémque Agag obeſiſſimum diſcerpſit, cum his verbis, Vt gladius tuus matres liberis priuauit: ſic inter mulieres erit ſine liberis mater tua. Inde Samuel domum in Ramatha rediit, nec ex eo die vidit Saulem, cuius tamen vicem & caſum dolebat. Dolentem Deus obiurgauit, quærens quouſque illum lugeret, quem ex regno expuliſſet. Itaque oppleret cornu oleo, vt ipſum ad Iſai Bethlehemitanum mitteret, cuius filium regem ipſe delegiſſet. Cùm rogaret, quî ire poſſet, quin à Saule cùm reſciuiſſet, quàm primùm occideretur: viam rationémque docuit, qua facilè illius furorẽ vitaret. Ita deniq; bonæ ſpei plenus diligẽter & officiosè mandatum Dei curatum perrexit, Daui-

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

démque regem vnxit à Deo ſibi declaratũ & oſtenſum. His præclarè ſanctéque geſtis omnibus, Samuel in Ramatha domi ſuæ, in ſenectute ſanctiſsima, à vita migrauit: quod cùm accepiſſent Iudæi, vniuerſi conuenientes eum luxerũt, ibíque ſepelierunt. Si ordinem ſequimur eorum, quæ primo libro Regum ſcripta ſunt, ante Saulis mortem, regníque Dauidis principium, ſiue initum ab eo regnum & magiſtratũ, exceſsiſſe è vita videbitur: Sin rationem habemus eorum, quæ priore libro Paralipoménωn prodita ſunt memoriæ, Dauidem & Samuelem videntem, id eſt, prophetam, ducentos duodecim ianitores qui ibi enumerãtur, delegiſſe, id quod viuo Saule feciſſe non videntur, non ante Saulis mortem diſceſsit à vita.

NATHAN PROPHETA.

NATHAN *Propheta fuit Dauide rege, ex tribu Thoc, vt ait Epiphanius, qui etiam ſcribit eum Gabathanum fuiſſe, ac prænouiſſe graue flagitium quod Dauid rex cum Berſabee admiſſurus erat, magníſque itineribus ex Gabath Hieroſolyma, Regis à tali facinore arcendi cauſa venientem, impeditum à facinoroſo*

homine, qui hominem interfecerat, quẽ nudum humi iacentem cùm inueniſſet, eius ſepeliendi cauſa ibi manſiſſe, ne à feris deuoraretur: eundémq; illa ipſa nocte cognouiſſe, à Dauide illud admiſſum eſſe flagitium, ob eámq; cauſam cum mœrore in Gabath rediiſſe: atque vt primùm Vrias vir Berſabee à Dauide interfectus eſſet, illum ad ipſum, quem reprehẽderet, miſſum eſſe à Deo. Atque hæc ſunt, quæ de Nathan Epiphanius ſcribit. Quæ autem de eo literis diuinis mandata ſunt, ipſe dicam. Dauid rex arcam Dei maximo cum honore ac veneratione, adhibitis omnium generum inſtrumentis muſicis, adiunctíſque triginta milibus delectorum hominum, primùm domũ Obededom, propter repentinam Ozæ mortem qui eam attigerat: deinde cùm arcæ cauſa illi omnia proſperè euenire intellexiſſet, domum ſuam ducendam curauerat: paulò pòſt idem, qui indignum exiſtimaret, ſe in ædibus cedrinis habitare, arcam autem Dei ſub pellibus, id eſt, in tabernaculo, Nathan in conſilium adhibuit, eíque rem illam expoſuit. Nathan primùm, qui nondum Dei conſilium cognitum haberet, ei quod de re illa ſtatuiſset, faciendum eſse cenſuit. Deinde nocte, quæ diem illũ ſequuta eſt, Deus ei præcepit, vt ad Dauidem adiens illi exponeret, non ab ipſo ædifican-

dam domum quam cogitaret, ſed cùm exceßiſſet è vita ab eius filio, cuius ſolium conſtitueret: quod cùm illi Nathan narraſset, ab opere, quod facere inſtituerat, deſtitit, Deóque pro ſummis ipſius in ſe beneficiis, maximas, pro eo ac debuit, egit gratias. Iterum Deus illum ad Dauidem in planè dißimili cauſa miſit. Nã cùm ille ſtupro Berſabee illato, Vriam eius virum in bello interficiendum curaſset, collatione hac per illum ei ſceleris ſui grauitatem ita expoſuit, vt ſe imprudens, cùm rem non intelligeret, ipſe condemnauerit. Nathan Dei iußu illi narrauit, duos viros eße in vrbe vna, quorum is qui diues eßet, abundarétque ouibus & bobus, abſtuliſſet à paupere ouem, quam vnam haberet, hoſpitique, qui ad illum diuertißet, appoſuißet in conuiuio. Itaque ſe ad illum veniße, vt quam in eum ſententiam ferri vellet, intelligeret. Cùm Dauid ira incitatus in illũ, quem hoc perfeciße putabat, dignum eum morte, ac quadrupli iudicium in eum ferendum dixißet: Nathan, ipſum illum eſse hominem cõfirmauit, quippe qui conſtupratam à ſe Berſabee accepiſset vxorem, interfeciſsétque Vriam illius virum. Ob eámque cauſam nunquam ab eius familia malum abfuturum. Eáque mala omnia & aduerſas res, quæ ei paulò pòſt euenerunt, prædixit. Grauiter ſe

Domino peccaſse tũ deniq; Dauid ſenſit, et cõfeſſus eſt: quã eius pœnitẽtiam verã ſciẽs Deus, Nathan iuſsit illi dicere, ob eam cauſam tranſlatum eſſe peccatum ipſius, eúmque non eſse moriturum, ſed filium, qui ei natus eſſet, quòd hoſtes hoc eius ſcelere impulſi de Dei nomine & honore detraxiſſent. Quæ cùm Nathan dixiſſet, domum rediit, illa autem omnia quæ prædixit, conſequuta ſunt. Dauid ſumma ſenectute erat, ſic, vt veſtibus opertus, non caleret, Adonias eius filius ex Haggith, qui ex hoc mortem patris appropinquare ſciret, illo inſcio regnum occupauerat, neque eum pater cũ reſciuiſſet, obiurgauerat. Nathan tamen ab illo ſtare noluit. Itaque Berſabee Salomonis matri auctor fuit, vt ſi ſibi ac filio conſultum vellet, adiens ad regem, eum admoneret, Adoniam eſſe, qui ipſo viuo & inuito regnum vſurparet, cùm iuraſſet, ſibi in regnum ſucceſſurum eſſe Salomonem: pollicitúſque eſt, ſe interuenturum, atque abſoluturum eſſe orationem, quam habere cœpiſſet. Illa prior intromiſſa, exponebat Regi quæ ad rem pertinebant, cùm Nathan adeſſe regi nunciatur. Ingreſſus, multis verbis rei indignitatem auxit, Salomonémque anteponendum, ſicuti ab ipſo acceperat, cenſuit. Quod cùm Regi iterum placuiſſet, Nathan dedit negotiũ, & Sadoc ſa-

cerdoti aliíſque tribus, vt Salomonem in mulam ſuam impoſitũ, in Gihon deducerent, ibíque Sadoc eũ oleo vngeret: id quod quàm primùm cum omnium fauſta acclamatione perfectum eſt. Atque hæc ſola de eius vita inueni. Exceſsit autem è vita admodum ſenex, ſepultúſque eſt in Gabath patria ſua, vt Epiphanius ſcribit.

GAD PROPHETA.

GAD *Propheta iiſdem ferè temporibus, quibus Nathan, prophetiæ munere & donatus & functus eſt. Quanquam ſemel eum ante illum ad Dauidem à Deo miſſum eſſe inuenio. Cùm enim Dauid Saulis conſpectum vitandæ certæ mortis cauſa fugiẽs, ad Achis regem Gethæorum veniſſet, íſque illum ſe inſanire ſalutis cauſa ſimulantem cõtempſiſſet, atque inde in ſpeluncam Odollam fugiẽs princeps quadringẽtorum obæratorum delectus eſſet, & inde profectus in Maſpha, quæ erat iuris ac ditionis regis Moabitarum, regem rogaſſet, vt vtrũque parentem ſuum apud ipſum manere ſineret, quoad ſciret, quid ſibi Deus faceret, quo impetrato, maneret in præſidio: Gad Propheta hic, inde ei abeundum, & in Iudææ*

partem, quæ Iudæ eiúſque poſteris in partitione obtigerat, veniendum cenſuit. Cuius ille, aut Dei potius conſilio & imperio parens, in ſaltum Hareth ſe recepit. Iterum ad Dauidem à Deo miſſus eſt. Dauid ſuos omnes qui ferre arma poſſent, per Ioab magiſtrum militum recenſeri iuſſerat, in quo cùm Dei voluntatem eius munere ſe offendiſſe intelligeret, & ſe peccaſſe confeſſus eſt, & rogauit Deum, vt transferret peccatum ſuum. Prima luce cùm ſurrexiſset, Gad prophetam, qui, vt ſcriptum eſt, Dauidi res prædicere ſolitus erat, ad eum miſit Deus, qui ei trium optionem daret, aut famis ſeptem annorum in imperio ſuo: aut fugam hoſtium, qui eùm tribus menſibus perſequerētur: aut certè peſtem trium dierum in ſuo imperio. Quæ cùm expoſuiſset, rogauit eum, vt reſponderet, quod illorum trium mallet, vt ei à quo miſsus eſset, renunciaret. Peſtem cùm maluiſset, quòd diceret ſe malle in Dei manus, quàm in hominum incidere, quippe quoniam valde miſericors eſset: peſte intra conſtitutum tempus ſeptuaginta milia virorum mortua ſunt. Fecerat Deus, vt ipſe angelum cædentem & interficientem videret: quo quidem tempore vſus eſt voce rege digniſsima. Se enim dixit qui peccaſset, illos autem, qui oues erant & interficiebantur, nihil ſceleris ad-

miſiſſe: itaque rogare ſe illum, vt manum ſuam in ſe & in domum patris ſui verteret. Quibus illius verbis impulſus Deus, ad eum Gad prophetam miſit, qui ei præciperet, vt in area Areunæ Iebuſæi aram ædificaret ſibi. Extructa ara cùm Deo immolaſſet, tum & Dei ira deferbuit, & clades ſedata eſt.

Ahias, ſiue Achias Propheta.

AHIAS, *ſiue Achias Silonita. Is, vt ait Epiphanius, prædixit Salomoni, fore, vt Deum offenderet, mulieréſque ipſum à Deo abducerent & auerterent. Hieroboam etiam, vt idem ſcribit, reprehẽdit, quòd ſi regia poteſtate præeſſet, dolo ac fictè ſequeretur Deum: eidémque prædixit, fore, vt pari bucularum aduerſaretur Deo, & genus eius ſeruitute premeretur. Nos autem hæc pauca, quæ diuinis literis mandata ſunt, de eo narrabimus. Salomon rex, Hieroboam Ephrathæum, cùm eum bonæ indolis eſſe perſpexiſſet, tributis vniuerſæ familiæ Ioſeph præfecerat. Ei Hieroſolymis egredienti Ahias hic amictus pallio nouo, in via obuiam factus eſt: arreptúmque pallium*

ſuum nouũ cùm diſcidiſset in partes duodecim, Hieroboam monuit, vt partes decem ſibi ſumeret. Deum enim diuiſurum eſſe regnum Salomonis, eíque decem tribus daturum, illi autem tribum vnam reliquam futuram Dauidis cauſa: hæc verò Salomoni ipſi euentura eſſe, quòd peregrinos deos coluiſſet, nec Dei præceptis paruiſſet, Dauidis patris imitatione. Si in imperio, mortuo Salomone (neque enim eo viuo illũ decem tribubus imperaturũ) præceptis Dei parêret, ſicuti Dauid paruiſſet, illum ei nullo loco defuturum. Cùm autem Hieroboam iam rege, Abia eius filius ægrotaret, venit ei in mentem eorum quæ Ahias Propheta ipſi prædixerat. Itaque vxori ſuæ præcepit, vt mutata veſte, ne agnoſceretur, ad eũ in Silo proficiſceretur, conſultum quid puero euenturum eſſet. Illa paratis iis omnibus, quæ neceſſaria erant, ſe dat in viã. Ahiæ autem, qui præ ſenectute cernere non poterat, & patefecit vxorem eſſe Hieroboam quæ illum de filio conſultum venerat, & ſuggeßit, quid illi reſponſi daret: Eam igitur ingredientem & nomine ſuo appellauit, & grauiter obiurgauit, quòd ſimulatè veniſſet. Prædixit etiã ei filij mortem, familiæque euerſionem propter Hieroboam viri ſcelera. Puer quidem in eius introitu, vt Ahias prædixerat, diſceßit à vita:

Aſa autem regem Iudæ, Baaſa interfecto Nabad Hieroboam filio, domum eius euertit. Migrauit autem à vita Ahias in Silo, vt ait Epiphanius, atque haud procul à quercu, quæ ibi erat, ſepultus eſt. Semeias, cùm defeciſſent à Roboam ad Hieroboam, vt Ahias Propheta prædixerat, tribus decem, ob eámque cauſam Roboam Hieroſolymam profectus, ingentem exercitum vt illas reciperet, comparaſſet, miſſus eſt à Deo, qui Roboam vniuerſiſque iis qui ei parebant, vetaret, ne proficiſcerentur, neq; bellum gererent cum fratribus ſuis Iſraeliticis. Itaque in ſuam quiſque domum redirent: hoc enim à ſe eſſe perfectum. Parentes autem Dei præcepto, re infecta reuerſi ſunt.

IOAM PROPHETA.

IOAM *appellat Epiphanius Prophetam eum, quem ſcripta diuina commemorāt, ex Iuda, iuſſu Dei, in Bethel veniſſe, tū cùm Hieroboam ad aram incēdendi thuris cauſa ſtaret. Is quidem primo ſuo aduentu in altare ex Dei mandato clamare cœperat, Altare, altare: Hæc ait Deus, Naſcetur familiæ Dauidis filius Ioſias nomine, & in te ſacer-*

dotes excelſorum, qui nunc in te thura incēdunt, immolabit, & oſſa hominum in te incēdet. Dixítque illud hinc intellectum iri, quòd tum altare diſcindendum eſset, & cinis qui in eo erat effundendus. Hunc Prophetæ, aut Dei potius, ſermonem ferre non potuit Hieroboam, ſed porrecta manu in eum ex altari, circunſtantibus imperauerat, vt illum comprehenderent, cùm repētè manus eius exaruit ſic, vt eam ad ſe iam retrahere non poſset. Vim autem Dei illam eſse ſentiens, prophetam rogat, vt pro ſe Deum precetur, vt ſibi manum ſaluam & integram reſtituat. Quod cùm feciſset, reſtituta manu, prophetam, memor beneficij, rogat, vt ſecum pranſum domum veniat, vbi munera à ſe ſit accepturus pro beneficio. Ipſe negauit hoc ſe facturum eſse, etiam ſi dimidiam partem imperij ſui daturus eſset. Sic enim ſibi in mandatis datum eſse à Deo, ne etiam eadem via qua venerat, rediret. Itaque alia via reuerſus eſt. Sed cùm ſuſceptum curſum conficeret, propheta quidam ſenex, cui liberi ſui ea quæ acta ab eo erant, narrauerant, in aſino ſedēs, eum ſub terebintho ſedentem aſsequutus, cùm rogāti, vt ad ſe capiendū cibi cauſa diuerteret, eadem de cauſa ſe facturum negaſset, ad extremum confirmanti ſe etiam prophetam eſse, cui Deus hoc in mādatis

dediſset, nimium credulus malo ſuo aſsēſus eſt. Accumbenti enim vnà cum illo menſæ, Propheta, qui eum reduxerat, iuſsu Dei ei prædixit, quòd eius præcepto non paruiſset, cadauer ipſius non illatum iri in patrum ſuorum ſepulchrum. Itaque abeūtem, paulò pòſt, leo interfecit. Quod cùm prophetæ illi ſeni nunciatum eſſet, confeſtim eò profectus eſt, integrúmque cadauer in aſinum impoſitum domum ſuam tulit, ſepeliuitque cum omni officio, rogans liberos, vt ſe, cùm exceſsiſset è vita, ad illum ſepelirent.

IEHV PROPHETAE VITA.

IEHV, *Hanani filius, Propheta Aſa rege Iudæ, fuit: Eum ad Baaſa Iſraelis regem Deus miſit, qui ei prædiceret, quoniam quaſi ex puluere ab ipſo elatus, & præfectus dux Iſraeli, tamen Hieroboam imitabatur, ſuóque exemplo & iuſsu Iſraelem ad peccatum impellebat, fore vt illius res & memoria delerentur. Hæc autem Dei verba Baaſa non ſolùm non eo animo quo debuit, accepit, verùm etiam Iehu Prophetam legatúmque Dei morte mulctauit. Idem Ioſaphat regem Iudæ reuerſum ex bello, in quo Achab auxilium*

xilium tulerat, grauiter obiurgauit, dixítque ob illud factum, eum ira Dei & odio dignum eſſe, ſed opera bona in eo eſſe inuenta.

Azarias Propheta Obed filius.

IS ad Aſa Iudæ regē, qui, quòd altaribus peregrinorũ deorum euerſis, ſublatóq; eorum cultu, populum ſuũ quærere ac colere Deum docuerat, cum ſuis Dei cōceſſu ac munere AEthiopũ qui infeſti irruperāt, infinitam multitudinem, cùm Deum precatus eſſet, vt ſibi ac ſuis ferret auxiliũ, vicerat, iuſſu Dei venit anno eius imperij quintodecimo, nunciatum, quoniam ipſe ac populus eius cum Deo fuiſſent, eúmq; coluiſſēt, Deum etiam cum eis fuiſſe: prædictúmque, multis diebus in populo Iſraelitico nullũ Deum verum futurum, nullum ſacerdotem, doctorē, nullámque legem. Cùm autem reuerſi rebus aduerſis Deũ quæſiuiſſent, fore vt illum inuenirēt. Tum verò non fore in pace egredientē & ingredientem, ſed in metu ac terrore omnes terræ incolas. Itaque forti eſſent animo omnes, neque manus eorum diſſoluerentur, id eſt, opera firma & ſtabilia eſſent. Operi enim eorum mercedem eſſe propoſitam, quam eſſent cōſequuturi. His Azariæ verbis Aſa fortior effectus eſt ad deorũ peregrinorum vbique tollendam religionem, & veri Dei reſtituendā, in eáq; confirmādos ſuos.

HANANI PROPHETA.

HANANI *Iehu Prophetæ pater, prophetiæ munere functus eſt apud Aſam regem Iudæ, anno imperij ipſius ſexto & triceſimo. Cauſa autem hæc fuit eius legationis. Baaſa rex Iſraelis infeſto exercitu in Iudam venerat, muróque cingebat Rama, ſic, vt nemo tuto ex regno Iudæ egredi, aut in illud ingredi poſſet. Quod cùm Aſæ nunciatum eſſet, prolatum ex theſauris domus Dei aurũ & argentũ, & ex ſuis, miſit ad Benadab regem Syriæ, qui Damaſci regiam collocauerat, petẽs ab eo auxilium. Rex Syriæ, principes cum ingenti exercitu miſit, qui cùm multas Iſraelis vrbes munitas cinctáſque muris euertiſſet, huius rei nuncio accepto, Baaſa ab opere deſtitit. Ita facilè Aſa conuocatis ſuis adhibitíſque operis, quicquid ille iam excitauerat, euertit ac diruit. Deus autem improbans ac deteſtans Aſæ factum, ad eum Hanani prophetam hunc miſit, qui ei diceret, quia in rege Syriæ ſpem ſuam collocauerat, non in Deo ſuo, qui poteſtati ipſius AEthiopum maiorem exercitum, quàm Aſsyriorum eſſet, tradidiſset, idcirco Syriæ exercitum ex eius manibus elapſum eſſe, et prædiceret ex illo tem-*

pore in eum conflatum iri bella plurima. Aſa qui Azariæ Hanani filij oratione adductus, anteà, vt docui, multò meliorem & fortiorem ſe præſtiterat, non modò non Hanani patris, atque adeò Dei verbis ad ſuperiorem virtutem ſe retulit, ſed prophetam quoque cõiecit in carcerẽ.

MICHÆÆ PROPHETÆ IEMLA FILII VITA.

MICHAEAS *Iemla filius, Ioſaphat rege Iudæ, prophetiæ munere claruit. Vnius fuit cauſa talis, Ioſaphat affinitate cum Achab Iſraelis rege cõiunctus, ab illo ad belli ſocietatẽ in Ramoth Galaad vocatus fuerat. Cùm ad eum profectus cum ſuis, egiſſet cum illo, vt conſuleret Deum, num eò ad bellum proficiſci nécne deberent: conuocauit Achab quadringentos pſeudoprophetas, vt eos de loco belli conſuleret. Cùm reſpondiſſent, illi eò proficiſcendum eſſe, hoſtes enim in ipſius venturos eſſe poteſtatem: Ioſaphat, qui eis fidem non haberet, eum rogauit, num quis ibi eſſet Dei propheta, quem etiam conſulere poſſent. Reſpõderat ille, eſse quidẽ Michæam Iemla filium, ſed eum ſibi ſolitũ eſse ſemper mali aduerſique ali-*

quid prædicere, cùm Ioſaphat eum monuit, ne ita de Michæa loqueretur. Itaque ſpadonem vnum è ſuis miſit, qui Michæam accerſeret. Spado cùm illum inueniſſet, ei nunciauit, omnes prophetas & vates domino regi fauſta omnia prædicere: itaque ſe eum rogare, ne ab illis diſſentiret. Michæas iureiurando confirmauit, ſe quicquid Deus ſuggereret eſſe dictur͡ũ. Ad regem cùm veniſset, conſulẽti vtrum in Ramothgalaad ipſis proficiſcendum eſset ad bellum, an manendum, reſponderat, eundum: eis enim proſperè euentura eſſe omnia: cùm idem iureiurando illum adegit, &, vt noſtri dicunt, adiurauit ſemel atque iterum, ne ſibi, niſi quod res eſset, Dei nomine nunciaret. Ipſe reſpondit, ſe vniuerſum Iſraelẽ diſperſum in mõtib. more ouium quæ paſtore carent, vidiſse: itaque Deum imperaſse, vt in ſuam quiſque domũ redirent omnes, quòd dominos non haberent. Tum Achab, Ioſaphat, An non, inquit, tibi hoc verè dixi, iſtũ mihi nihil prædictur͡ũ eſse, niſi quod infauſtum eſset? Michæas his verbis nihil deterritus, quòd non crederet verbis ſuis, narrauit prætereà ſe Deum vidiſse in ſolio ſuo ſedentem, omnémque cœli exercitum ei præſto fuiſse à dextra & ſiniſtra, ac tum quæſiuiſse, quíſnam decepturus impulſurúſque eſset Achab regem Iſraelis, vt

eat Ramothgalaad, ibíque corruat: cui cùm alij aliud reſponderent, Spiritum improbum acceſſiſſe, qui hoc negotij ſibi depopoſciſſet, reſpondiſſéque Deo quærenti, quî illum deciperet, ſe ſpiritum mendacem ſeſſurum in ore prophetarum illius omnium. His verbis concitatus Sedechias prophetarum vnus, collaphum ei infregit, quærens ab ipſo qua via à ſe ad illum tranſiſſet ſpiritus. Cùm reſpondiſſet, id illum tum experturũ, cùm ex cubiculo in cubiculum ſe abdendi cauſa transferret, Achab iuſſit duci eum ad Ammon principem ciuitatis, & ad Ioas Amelech filiũ, qui illum in carcerem cõiicerent, vbi ei tantùm panem & aquam darent, quoad cum pace, rebúſque ex animi ſententia geſtis, rediret. Michæas qui hoc ſibi à Deo patefactum ſciret, reſpondit, ſi ille cum pace reuerteretur, per ſe non eſſe loquutũ Deum: eiúſque ſermonis ſui, omnes qui aderant, vt teſtes ac memores eſſẽt, monuit. Ita Achab & Ioſaphat in Ramothgalaad profecti ſunt cum ſuis. In via Achab mutato ornatu, Ioſaphat ornatu regio voluit procedere. Rex autem Syriæ principibus imperauerat, vt ſolum regem Iſraelis peterent. Itaque cùm ex ornatu illum eſſe intelligerent, vniuerſi toto impetu in Ioſaphat ferebãtur. Ioſaphat in tam certo mortis diſcrimine, Dei fidem implorauit, qui

eum audiuit. Cùm enim duces illũ non eſſe eum quẽ peterent, viderũt, pepercerunt. Accidit autem paulò pòſt, vt vnus de plebe ſagittam in incertum iaceret, quæ caſu ſuo Achab inter ceruicem & humeros ſauciauit, quo ex vulnere, occidente ſole, mortuus eſt.

ELIAE PROPHETAE VITA.

ELIAS *Teſbanus non ſolùm prophetiæ munere præſtitit, ſed clarus etiam edendis miris ac nouis operibus fuit, Achab rege Iſraelis, qui ei præeſſe cœpit anno triceſimo octauo Aſæ regis Iudæ, anníſq; duobus et viginti præfuit. Primùm ad ipſum Achab eũ Deus miſit, qui illi prædiceret, non delapſuram pluuiam certo tẽpore, niſi ipſe loqueretur. Quo quidem tempore iuſſu Dei ſe ad torrentem Carith qui erat è regione Iordanis, ex quo biberet, ſe contulit, cùm ipſe promiſiſſet, miſſurum ſe coruos, qui illum paſcerẽt. Eò cùm veniſſet, panem ei & carnes manè ac veſperi corui ferebant: ipſe ex torrente aquam hauriebat. Exiccato autem torrente poſt aliquot dies præ ſiccitatæ, præcepit ei Deus, vt Sareptã Sidoniorum vrbem ad*

viduam cui iuſsiſſet, vt ipſi ea quæ ad victum pertinent præberet, proficiſceretur. Iam ad portam vrbis peruenerat, cùm viduam offendit ligna colligentem. Accerſitam rogat, vt ſibi paululum aquæ in vaſe daret. Pergenti, à tergo clamauit, orans vt fruſtum etiam panis afferret. Negauit illa ſe panem habere, ſed ſolùm tantum farinæ quantum pugillus capere poſſet, quem iret coctum ſibi ac puero, vt cùm comediſſent, morerentur. Ipſe eam monuit, ne timeret, ſed iret, ac faceret vt dixerat, ita tamen vt ipſi primùm cibarium panem faceret, deinde ſibi ac puero. Deum enim dixiſſe, hydriam farinæ non defuturam, nec lecythum olei defecturum, ad eum diem, quo ipſe pluuiam in terram effuſurus eſſet. Credidit mulier, atque ex cocto pane & Elias edit, & mulier, & puer eius: nec ex eo die hydria farinæ imminuta eſt, aut lecythus olei defecit. Maxima in hac re vis & virtus Eliæ excelluit, ſed multò maior in ea quæ ſequitur. Acciderat, vt filius viduæ illius ita ægrotaret, vt iam ſpiritum non duceret. Ea ad Eliam veniens querebatur, quòd eius aduentus cauſam mortis filio attuliſſet. Arreptum ex eius ſinu tulit in cœnaculum, in quo ipſe manebat: collocatóque eo in lectulo, cum clamore Deum rogauit, cùm ſe extendiſſet, térque dimenſus eſ-

ſet puerum ſuo corpore, vt eius animus in corpus rediret. Eius preces audiuit Deus, excitauítque puerum, quem viuum Elias matri reddidit. Illa ex facto illo ſe intelligere dixit, illum eſſe virum Dei, & verum eſſe verbum eius, quod in ore illius eſſet. Anno tertio ſiccitatis iuſsit eum Deus ſe Achab regi oſtendere, vt aquam in terram effunderet. Erat tum in Samaria fames tanta, vt Achab Abdiam præfectum prætorio, qui Deum colebat & timebat, coactus ſit, diuiſis regionibus, in aliam mittere, ipſe in aliam proficiſci pabulatum, vbicunque fontes eſſe cognoſcerent, ne equi, muli, & iumenta fame interirēt. Abdiæ in via ſua Elias factus eſt obuiam, quem cùm agnouiſſet, humi in faciem decidit, rogauítque, num ipſe Elias eſſet. Elias, cùm ſe eſſe dixiſſet, eíque præcepiſſet, vt iret nunciatum domino ſuo adeſſe Eliam: rogauit, quid meruiſſet, vt ſe Achab interficiendum traderet. Neque enim eſſe nationem aut regnum, quò nō miſiſſet, qui eum quærerent: qui cùm renunciaſſent, illum viſum eſſe à nemine: tum illum, vt ita dicam, adiuraſſe regna ſingula & nationes. Et tamen eum ſe ad illū mittere nunciatum adeſſe ipſum, quem ſubitò Spiritus abriperet atque transferret in locum ſibi incognitum: túmque Achab, qui illum non in-

ueniret, certa morte ſe mulctaturũ eſſe. Cùm illi cum iureiurando affirmaſſet, ſe illi eo die oſtenſurũ eſſe: tũ Abdias eius fide profectus eſt nunciatum Achab, adeſſe Eliam. Achab illi obuiam prodiit: quo aſpecto, Tú ne es, inquit, qui Iſraelem conturbas? Ipſe eum ſe eſſe negauit, ſed illum, patríſque eius genus, & familiã, qui præceptis Dei contemptis, Baalim ſequerentur & colerent. Eadem animi fiducia ei tum præcepit, ut prophetas Baal quadringentos quinquaginta, uniuerſúmque populum ad ſe in Carmelum montem conuocaret. Cùm illi conueniſſent, ipſe ad populum accedens, rogauit uniuerſos, quouſque in duas partes claudicarent. Si Dominus eſſet Deus, eum ſequerentur: ſin Baal, ſequerentur illum. Tacẽtibus uniuerſis iterum dixit, ſe unum Dei prophetam remãſiſſe, Baal autem quadringentos & quinquaginta. Hanc tamen ſe illis conditionem proponere. Datis bobus duobus, ſe dixit prophetis Baalim optionem daturũ: utrum mallent, eum in fruſta cõciſum, in lignis ponerẽt, ignem autem non ſupponerent: ſe etiam alterum diſcerptum, in lignis poſiturũ, igne non ſuppoſito. Cùm populus hanc Eliæ conditionem optimam eſſe acclamaſſet, iuſsit illos priores id quod inter ipſos conuenerat facere, ac tum deni que implorare fidem deorum ſuorum. Illi perfe-

ctis omnibus ex pacto, non ſuppoſito igne, Baal rogabant à prima luce ad meridiem, vt ſe audiret: nec vox erat, neque qui reſponderet. Meridie Elias eos irridens, hortabatur, vt quoniam Deus erat, & forſitan loquebatur, aut erat in diuerſorio, aut in itinere, aut certè dormiebat, excitandi eius cauſa, voce maiore clamarent. Illi ergo magna voce clamabant, ſeq́ue cultris ac lanceolis ritu ſuo incidebant, ad eum finem, dum ſanguine perfunderētur. Cùm meridiei hora ceſſiſſet, illiſque vaticinātibus veniſſet tempus, quo ſacrificiū offerri ſolenne erat, nec vox exaudiretur, nec quiſquam reſponderet, aut attenderet: tum demum Elias accito ad ſe vniuerſo populo, cùm acceſſiſſet, dirutum Dei altare primò reſtituit ac refecit, ex duodecim lapidibus quos pro filiorum Iacob numero ſumpſerat, & ex alia materia, quā cōmodam & neceſſariam operi putabat: deinde cùm imperaſſet tertiò, vt toties in aquæductum aquam infunderent, veniſſétque tempus ſacrificij, ipſe compoſitis lignis ſine igne accedens, rogare cœpit Deum his verbis, Domine Deus Abraham, & Iſaac & Iacob, oſtende te hodie eſſe Deum Iſraelis, ac me ſeruum tuum, feciſſéque hæc omnia iuſſu tuo. Audi me Domine, audi me, vt diſcat hic populus te eſſe Dominum Deum, & te conuertiſ-

ſe iterum cor ſuum. Vix finem dicendi fecerat, cùm ignis de cœlo hoſtiam incenſam cõſumpſit, ligna quoque, lapides, puluerem & aquam quæ erat in aquæductu. Populus rei admiratione cadens in faciem, ſtatim clamare, ſemel atque iterum, Dominum Deum eſſe. Ipſe iuſsit prophetas Baal comprehẽſos ab illis duci ad torrentem Ciſon, eóſque ibi omnes interfecit. Tum iuſſit Achab venire, veſci ac bibere: aquarũ enim multarum fremitũ audiri dicebat. Cùm veniſſet, ipſe in montis Carmeli verticem aſcendit, pronúſque humi, facie ſua inter genua poſita, puerum ſepties iuſsit mare verſus aſpicere, quod cùm ille feciſſet, tum demum viſa eſt parua nubes ex mari excitari, qua aſpecta, Achab monuit, vt iuncto curru deſcenderet, ne ipſum pluuia opprimeret: paulò pòſt ingẽs vis pluuiæ effuſa eſt. Achab ex loco illo veniens ad Iezabel reginam, ei cùm omnia ordine narrauit, quæ geſſerat Elias, tum cædem prophetarum: quo nuncio ita conturbata eſt & concitata in Eliam, vt ſtatim miſerit qui ei dicerent, ſe non recuſare, quominus à diis malè acciperetur, niſi poſtero die illa ipſa hora ipſum interficeret, quemadmodum illorum vnus interfectus fuiſſet. Perterritus his minis Elias, abiit quocunque eum voluntas ſua ferebat, venítque in Berſabee Iudæ,

relictóque ibi puero ſuo in ſolitudinem, via diei vnius ſe recepit. Ibi ſedens ſubter iuniperum, mortẽ optauit, & quieti ſe dedit in vmbra arboris. Angelus Dei interueniens, eum monuit ſemel atque iterum, vt ſurgeret ac veſceretur. Primùm quidem comedit & bibit, ſed iterum ſe dedit quieti. Itaque angelus rediens præcepit ei, vt quia ei magna via reſtabat, ſurgeret ac veſceretur. Ipſe ſurgens cùm cibum cepiſſet, id eſt, cibarium panem quem angelus appoſuerat, & aquam bibiſset: vi cibi illius quadraginta diebus, totidémque noctibus, vſque ad montem Horeb ambulauit. Ibi in ſpecu deliteſcẽti Deus oſtenſus eſt, qui ab eo quæſiuit, quid illic ageret. Cùm reſpondiſset, magnum ſtudium ſuum in Deum fuiſse in iis quæ geſsiſset, quòd præceptis illius contemptis eius & altaria diruiſsent perfidi, & prophetas gladio occidiſsent, ſic, vt ipſe ſolus relictus fuga ſalutem quæſiſset, quẽ tamen perſequerentur, ſtare eum coram ſe in mõte iuſſit. Ei tum ſigna quædam oſtendit aduentus ſui, quibus perterritus operuit pallio faciem, egreſſusq́ue ſtetit in ſpeluncæ oſtio. Eò ad illum vox venit quærentis, quid ibi rei gereret. Cùm idem quod prius reſpondiſset, iuſsit eum Damaſcum proficiſci, ibíque Hazaelem regem Syriæ vngere, et Iehu Namſi filium regẽ Iſraelis, Eliſæum

autem filium Saphat pro ſe prophetam. Futurum enim eſſe poſtea, vt qui Hazaelis gladium effugiſſet, eum Iehu interficeret: qui Iehu, eum Eliſæus morte mulctaret. Se tamen reliquiſſe ſeptem milia virorũ in Iſraele, qui genua Baal non flexiſſent. Profectus inde, inuenit Eliſæum arantem, iniectóque in eum pallio ſuo, cùm ille rem intelligens, eum rogaſſet, vt pateretur primùm ſe parentes oſculari, ac tum denique ſe illum ſequuturum promiſiſſet: ire eum, & redire iuſsit. Re perfecta Eliſæus rediit, ac deinceps Eliæ miniſtrauit. Achab vineã Nabuthi Iezraelitæ emere voluerat, quam cùm ille venditurũ ſe negaſſet, quòd eam iure hæreditario accepiſſet à maioribus ſuis, reſponſum hoc eius ita moleſtè tulit, vt præ iracundia & dolore abiens ſe in lectũ proiiceret, nec caperet cibum. Iezabel regina, cognita cauſa doloris, hortata eſt virum, vt ſurgeret ac comederet, eſſétq; bono animo: ſe enim ei Nabuthi vineam daturam. Itaque ſcripſit literas nomine Achab, eius annulo obſignatas, ad ſeniores & nobiles Iezraelitas, quibus eos hortabatur ad ſubornandos teſtes qui Nabuthum læſæ maieſtatis accuſarent, quẽ condemnatum ipſi lapidibus obruerent. Subornant illi teſtes: accuſant teſtes Nabuthum: cõdemnatum lapidibus obruunt: tũ ad Iezabel eius mor-

tis certum nũcium mittũt. Illa cùm rem Achab narraſſet, ipſe omni dolore liberatus, ibat ad vineam, cùm Elias Dei iuſſu ei obuiã factus, grauiter eum obiurgauit, quòd occidiſſet, & præterea poſſediſset, ob eámque rem tam nefariam prædixit fore, vt illo ipſo in loco, in quo canes lambendo hauſiſſent Nabuthi ſanguinem, eius etiam lamberent. Cùm Achab, qui Eliam gratuito & ſponte ſua, atque adeò inimicitiis impulſum hæc dicere exiſtimaret, ex illo quæſiſſet, num ipſum inimicum ſibi aliquo loco expertus eſset, ipſe reſpondit, certè expertum eſse, proptereà quòd vltro ac ſponte ſcelus in Deum admiſiſset, qui ea de cauſa familiam eius eo modo deleturus eſset, quo illam Hieroboam & Baaſa deleuiſset. His tandem minis adductus Achab, laceratis veſtibus, cilicio ſe operuit, ieiunium ſeruauit, dormiuit in ſacco, ambulauítque demiſso & abiecto capite, vt Deum iratum placaret. Quæ illius pœnitentia Deum impulit, vt Eliæ diceret, quòd ita ſe ille abieciſset, non eo viuo, ſed mortuo, ac rege illius filio, ea mala quæ prædixiſset, euentura eſse. Achab autem mortuo, Ochozias eius filius, qui illi in regnum ſucceſsit, ex cãcellis cœnaculi ſui in Samaria cadens vulnus acceperat. Is dubitans, nũ lethale vulnus eſset, conſulendum cenſuerat nõ Deum,

ſed Beelzebub, vtrum ex morbo illo nécne conualeſceret. Itaque hoc eius facto offenſus Deus, iuſsit Eliam ire obuiam legatis Ochoziæ, & quærere, primùm, an non Deus in Iſraele eſset, quòd irent conſultum Beelzebub Deum Accaron: deinde eis imperare, vt domino ſuo renũciarent, illũ ob eam cauſam nũquam è lecto ſurrecturum eſſe incolumem, ſed moriturum. Ochozias cùm hæc legatos renunciãtes audiuiſset, rogatíque illi quis vir eſset, à quo hæc accepiſsẽt, hirſutum eum eſse, & zona pellicea accinctum renibus reſpondiſsent, intellexit ex habitu & ornatu eſse Eliam. Itaque miſit quinquaginta homines & præfectum illorum, qui eum accerſerent. Legati Eliam hominem Dei appellãtes, narrant ſe ab Ochozia rege Iſraelis ad eũ miſſos, qui ei dicerent, illum ipſi præcipere, vt ad ſe veniret. Elias audita legatione, reſpondit, Si ipſe homo Dei eſset, ignis è cœlo delaberetur, qui eos omnes conſumeret: quod ſtatim accidit. Totidem iterum miſit, qui cùm iiſdem verbis vſi eſsent, ipſe iiſdem etiam vſus, ignem de cœlo deuocauit, quo eodem modo confecti ſunt, quo ſuperiores. Tertios pari numero miſit, ſed præfectus cum ſuis genu inflexo Eliam precatus eſt, vt ſui ſuorúmque miſereretur, ne idem ſibi accideret, quod ſuperioribus. Ipſe angeli iuſsu, qui

vt bono animo eſſet hortatus eſt, venit ad Ocho ziam, cui cùm eadem quæ primis legatis, dixiſſet, paulò pòſt exceſsit è vita. His tam præclaris & egregiis rebus geſtis Elias, tandem non mortuus eſt, ſed raptus in cælum, vt ſit teſtis & præco ſecundi Chriſti aduentus. Raptus is cùm illi à Deo patefactus eſſet, in via Eliſæo, qui ei, vt dixi, miniſtrabat, imperauerat, vt ibi ſederet, quòd ſe Deus Bethel mitteret: cùm ille iureiurando affirmauit, ſe illum non eſſe relicturum. Itaque eum Bethel ſequutus eſt. Ibi prophetarum liberi Eliſæum rogarunt, ſcirét ne dominum ſuum illo ipſo die in cœlum per turbinem elatum iri à Deo: quibus ſe id ſcire reſpondit, eóſque vt tacerent, rogauit. Elias iterum illi vt ibi maneret, imperauerat, cùm id ſe facturum eodem modo negauit. Ad Iordanem euntes vnà ſequuti ſunt quinquaginta prophetarum liberi, ſed hi procul ſtabant: illi ad Iordanem cùm veniſſent, Elias detractum pallium inuoluit, eóque percuſsit aquas, quibus diuiſis in duas partes, ambo ſicco veſtigio Iordanem tranſierunt. Traiecto amne, Eliſæum Elias monuit, vt quod vellet à ſe peteret, antè quàm ipſi eriperetur. Cũ Eliſæus ſpiritum duplo maiorẽ quàm in ipſo eſſet, poſtulaſſet: ipſe rem eum difficilem petere dixit, quam tamen ſi ipſum, cùm eriperetur, videret,

deret, aſſequeretur: nō aſſequeretur antē, ſi non videret. Inde vnà iter facientes ſermonē habebant, cùm currus igneus, & equi ignei Eliam in cœlum per turbinē extulerunt, Eliſæo ſpectāte & clamante, Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Cùm iam eum non cerneret, pallium illius, quod ei ceciderat, arripuit: eóque vt magiſter fecerat, cùm ſemel atque iterum percuſsiſſet, diuiſæ ſunt aquæ. Eliam Epiphanius ſcribit ex tribu Aaronis leuitam fuiſſe, & Sobac eius patri, cùm illum mater peperit, oſtenſos eſſe viros candido habitu, qui eum ſalutabant, atque in igne faſciis inuoluebant, & flammam ignis ei comedendam dabant. Quod cùm Hieroſolymis ad Deum retuliſſet, ei reſponſum eſſe, ne timeret. Pueri enim ignem fore domicilium, & orationem, ſentētiam, eúmque Iſraelem gladio & igne iudicaturum.

ELISSAEI PROPHETAE VITA.

ELISSAEVS *Propheta, Saphat patre ex tribu Ruben, in vico Abelmeula natus eſt. Is clariſsimus fuit & vir, & propheta, miriſq; ac inuſitatis operibus inſignis. Eius magnitudinis & præſtātiæ futuræ omen index fuit, vt ſcribit Epiphanius.*

Cùm enim in lucem editus eſt in Galgalis, bucula, quæ in Silo erat, tam clarè clamauit, vt Hieroſolymis exaudita dicatur. Itaque ſacerdos hinc dixit perſpicuum eſſe, eo die natum eſſe prophetam, qui & ſculpta ſimulachra deorum dirueret, & conflata frangeret. Illum Elias penè puerum iuſſu Dei ab aratro ad miniſterium & famulatum primò vocauit, deinde ad prophetiæ ſocietatem: quod quemadmodum geſtum ſit, quoniam in Eliæ vita dixi, de eo dicẽdi initium faciam ab eo tẽpore, cùm ille, hoc ſpectante, in cœlum elatus eſt. Elias quidem eum monuerat, vt à ſe quod vellet peteret, antè quàm ipſi eriperetur. Eliſſæus autem poſtulauerat, vt duplum ſpiritum acciperet: cùm ille ipſum id quod difficile factu eſſet, petiuiſſe dixit: ſed tamen ita duntaxat illud eum cõſequuturum eſſe, ſi ſe in raptu cerneret. Eũ, cùm efferretur in cœlum turbine in curru igneo et equis igneis, ſe vidiſſe docuit clamans, Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius. Itaque, vt quod petierat, acciperet, Eliæ pallio, quod illi aſcendenti ceciderat, cùm Iordanem iterum trãſire vellet, periculi faciundi cauſa, aquas, vt magiſter fecerat, percuſſit: quæ cùm diuiſæ non eſſent, clamare cœpit, vbi Deus Eliæ eſſet etiã tum: ſed cùm iterum eas percuſſiſſet, diuiſæ in partes duas, ei

facilem tranſitum præbuerunt. Quod cùm prophetarum liberi qui Hierichonte erãt, animaduertiſſent, ex eo dixerunt, in illo Eliæ ſpiritum inſidêre. Itaque prodeunt ei obuiam, eúmque cùm ſe proieciſſent humi, venerati ſunt. Hinc ei narrant eſſe quinquaginta viros fortes cũ eius ſeruis, qui ire poſſent & quærere illius dominũ, ſi fortè eum ſpiritus in montẽ aliquem aut vallem detuliſſet. Cùm vetaret, aut rogaret ne mitterent, non conquieuerunt illi, niſi expreſſa ab eo voce, qua mittẽdi ipſis fecit poteſtatem. Miſſi ab eis quinquaginta viri, cùm re infecta rediiſſent tertio die, ipſe cùm hoc ab eis intellexiſſet, An non, inquit, vetui, ne mitteretis? Habitabat Hierichonte, qua in vrbe aqua mortem afferebat iis qui bibiſſent, & præterea terra erat ſterilis. Quod cùm ei ciues ſui ſignificaſſent, aut potius apud eum conqueſti eſſent: ipſe vas nouum & ſalem ab eis popoſcit, quo infuſo, Deũ aquas curaſſe dixit, ita vt nec mortem iam afferrent, nec in terra ſterilitas ineſſet. Quod Hiericontini eius in ſe beneficium diu ſenſerunt. Inde proficiſcenti Bethel, pueri egreſſi ex vrbe ei illudebant his verbis, Aſcende calue, aſcende calue. Ipſe eos animaduertens, illis malè precatus erat, cùm vrſi duo ex ſaltu prodeuntes, duos & quadraginta vulnerauerunt. Quantum eius preces

apud Deum valerent, ex eo quod ſequitur, facilè intelligi poterit. Ioram rex Iſraelis Ochoziæ filius, Ioſaphat regem Iudæ, & regem Edom ad bellum in Moabitas, qui mortuo rege Achab ſtipendium negabant, acciuerat. Cùm viam ſeptem dierum cõfeciſſent, aqua exercitui & iumentis defuit. Ex Ioram, qui de Deo querebatur, cùm Eliſſæum prophetam in proximo eſſe Ioſaphat cognouiſſet, eundum ad illum cenſuit. Ipſe primùm Ioram iuſſit ire conſultum parentum ſuorum prophetas, deinde quærẽti cur Deus conuocaſſet tres reges, vt in Moabitarum poteſtatem venirent, reſpondit, niſi Ioſaphat vereretur, eius ſe non habiturum fuiſſe rationem: poſtremò iuſſit pſaltem accedere, quo canente, afflatus Dei ſpiritu, iuſſit in alueo ſubiecto elices fieri, in quo ſine vento, & pluuia, tantam vim aquæ erumpere viderunt, quanta ſatis eſſet & ipſis, & iumentis, & familiæ. Nec contentus fuit hoc beneficio, quod optabant: ſed prædixit etiam eis futuram victoriam. Quanta autem in egentes liberalitate, aut miſericordia potius, fuerit, ſequens exemplum indicabit. Mulier quædam vxorum prophetarum ei expoſuerat, virum ſuum qui timeret ac coleret Deum, mortuum eſſe, cuius creditor veniret, ipſi ereptum liberos ad ſeruitutem. Ipſe miſertus eius,

rogat quid domi haberet. Cùm reſpondiſſet, nihil præter paululum olei quo ſe vngeret, illi ſuaſit, vt vaſa multa à vicinis omnibus vtenda peteret, in quæ occluſis foribus ſola cum liberis aliquid olei infunderet, quæ cùm plena eſſent, auferret. Illa bonæ ſpei plena corrogat vaſa, infundit in omnia olei nonnihil: incredibile videretur, quod dicam, niſi diuinis literis mãdatum eſſet: particulæ illæ olei ita creuerunt vi Dei Eliſſæi precibus, vt plena vaſa ſtatim mulier ſumma cum voluptate, nec minore cùm admiratione viderit. Cùm rẽ tam nouam & inauditam Eliſſæo narraſſet, ipſe iuſſit eam oleũ vẽdere, & cùm ſe ære alieno liberaſſet, ex eo quod reliquum eſſet, ſibi ac liberis ſuis parare ea quæ ad victum eſſent neceſſaria. Hæc quidem olei tanta acceſſio non tã Eliſſæi benignitatẽ, quàm vim declarat. Quod autẽ ſequitur, vtrãque eius virtutem maiorem indicabit. Cauſa inciderat, vt Suna ciuitate aliò properans, tranſiret. Ibi mulier nobilis rogauit eum, vt ad ſe diuerteret. Ex eo tempore cùm illac iter habebat, eò ſolitus erat diuertere. Mulier, quæ ex eius moribus, factis & ſermone, magnum illum prophetam eſſe intelligeret, auctor fuit viro, vt cubiculum in ſuperiore cõtignatione, omnibus rebus quæ peregrinis & viatoribus neceſſaria ſunt,

ornaret. Cùm viro perſuaſiſſet, paratis omnibus, ibi Eliſſæus diuerſatus eſt, cùm primũ poſtea illac ei tranſeundum fuit. Mulieris autem liberalitatem nouam conſiderãs, ne ingratus videretur, accerſendam illam per puerum curat. Cùm veniſſet, puero negotium dedit, vt ab ea quæreret, quo officio tam prolixam ipſius liberalitatem remuneraret: num quod negotium ei eſſet, velletque ipſum pro ſe agere cum rege, aut cum duce. Cùm illa reſpondiſſet, habere ſe propinquos ibi, qui negotium, ſi quod haberet, curarent apud regem aut ducem: & à puero, qui hoc illi renunciaſſet, quæſiſſet, quid igitur à ſe expectaret, atque is reſpondiſſet, eam carere liberis, & ſenem eſſe eius virum: tum ei ante oſtiũ cubiculi dixit, illo ipſo tempore, & illa ipſa hora, ſi viueret, parituram ipſam eſſe filium. Quod etſi illudi ſe ab eo putaret, cõſtituto tempore accidit. Adoleuerat iam puer, cùm profectus ad patrem qui meſſores inuiſerat, ſibi dolere caput dixit. Itaque pater eum ad matrem quàm primùm reducendum curauit. Is cùm inter matris genua paulò pòſt animam efflaſset, in cubiculo Eliſsæi collocatus eſt. Mater autem virum accerſit, ei nunciat filij mortem, perſuadétque vt puer aliquis ſecum in aſina ad Eliſsæum excurrat. Sternitur aſina, proficiſcitur, venit ad Eliſsæum in

Carmelum montem. Ipſe cùm illā videiſset, puerum ei obuiam mittit, qui ex ipſa quæreret, valerétne ipſa, vir, & filius. Reſponderat, Valere, rectéque eſse omnia, cùm ipſa conſcenſo mōte ad pedes illius ſe proiicit, muliebriter lamentans lugénſque filium. Ipſe puero ſcipionē ſuum tradit, quem mortui faciei admoueat, ita tamen vt nec quenquam qui ei obuiam fieret, ſalutaret: nec cuiquam, qui ipſum ſalutaret, reſponderet. Iam ille cùm hoc mandato abierat, cùm mulier ſe ab eo diſceſsuram negat. Ipſe ergo eam ſequitur, & puerum qui ſe nihil profeciſse dicebat, offendit redeúntem in via. Ingreſsus domum in puerum ſe proiicit, ita tamen vt manus manibus, oculos oculis, os ori admoueret. Semel atque iterum hoc fecit, ſed primùm ſenſit carnē pueri recaleſcere, deinde cùm huc atque illuc ſpacia feciſset, & incubuiſset in puerum, oſcitauit ille ſepties, & oculos aperuit. Tū denique accerſita matre, ei puerum ſaluum & viuum reddidit. Illa ad eius pedes ſe proiiciens, illum veneata eſt, egítque ipſi gratias. Fames terram oppreſserat, prophetarúmque filij apud illum habitabant, cùm ipſe puerorum ſuorū vni præcepit, vt in olla magna ad ignem pultem illis coqueret. Alter inter herbas, colocyntidas ex vite ſyreſti collectas in ollā infuderat, ignarus quid

in ea ineſſet. Cùm ex olla ſuum cuique effunderetur, omnes deguſtato iure, adeò amarum illud ſenſerunt, vt illi mortem in olla eſſe dicerẽt. Ipſe farina infuſa in ollam, iuſſit ex pulte omnibus apponi, nec iam amaror vllus apparuit. De olei acceſſione iam dixi. Nunc de panum acceſſione dicam, quod nõ minus mirum videbitur. Vir quidã ex Baalſaliſa panes primitiarum viginti hordeaceos ad eum attulerat, frumentúmque nouũ in pera ſua: cùm ipſe iuſſit apponi omnia. Miniſter nolebat, quòd diceret, nihil aut parum eſſe centum viris: cùm ipſe rurſus iuſſit apponi, confirmãs, afflatus Dei Spiritu, illis cùm comediſſent, ſuperaturum aliquid. Itaque cùm comediſſent, eis aliquid ſuperfuit. Maximã eius vim atque munus declarantia opera adhuc expoſui: Amnis aquas in partes duas diuiſit: aquã nõ ex cœlo deuocauit, ſed ex terræ viſceribus, cùm exercitus innumerabilium hominũ cum iumentis ſiti enecaretur: oleum quod exiguum erat, ita auxit, vt nunquam poſteà defecerit: panes multiplicauit: denique mortuum puerum ab inferis excitauit. Nunc narrabo alia eius opera, quæ iuncta cum ſuperioribus duplum Eliæ ſpiritum in eo fuiſſe indicabũt. Naaman præfectus dúxque erat exercitus regis Syriæ, domino ſuo valde charus, cùm ob egregiam bellicam virtutem

qua erat præditus, tum quòd eius ſiue opera, ſiue meritis Deus ſalutẽ Syriæ dediſſet. Is cùm elephantia ſiue lepra inquinatus eſſet, rex Syriæ qui ex puella quæ à ſicariis ex Iſraele abducta in Syriam vxori Naaman miniſtrabat, comperiſſet Naaman ſermone, eſſe in Samaria prophetam, qui dominum ipſius curare poſſet, ei literas ad regem Iſraelis dedit, quibus ſcribebat, ſe ei Naaman ſeruum ſuum mittere, ac rogare eum, vt illum curaret. Naaman cùm decem talentis argenti, & ſex milibus aureorum, decémq; veſtibus, quæ mutandi cauſa paratæ confectæque erant, profectus, cùm literas reddidiſſet, rex Iſraelis illis perlectis, iracundia incitatus diſcidit veſtẽ, cùm ſe à Syriæ rege irrideri, & occaſiones ab illo captari dixiſſet, hoc ipſò quòd ad ipſum leproſum curandum miſiſſet, quaſi verò eſſet Deus. Cùm rei illius fama ſermone, vt fit, multorũ ad Eliſſæum peruagata eſſet, ipſe miſit ſubitò ad regem Iſraelis, illum obiurgans primũ, quòd veſtem laceraſſet, deinde admonens, vt Naaman ad ſe mitteret, vt in Iſraele prophetã eſſe experiretur. Venit Naaman cum equis & curribus, eíque ſtatim pro foribus Eliſſæus miſit puerum, qui iuberet illum ire ad Iordanem, vt aqua illius ſepties ſe ablueret, ac tum denique curaretur. Iratus ille, quòd Eliſſæus ad ſe non

deſcendiſſet, nec implorans Dei ſui fidem, locum elephantiæ manu ſua tractaſſet, & curaſſet, vt ſperabat, re infecta diſcedebat, hoc etiam afferens, meliorẽ ſalubrioremque aquam eſſe Abanæ, et Pharphari, qui amnes Damaſcum alluerent: cùm ei ſerui ſui rẽ, quam Eliſſæus præſcripſiſſet, facilem eſſe demonſtrant: qui ſi difficiliorem factu præcepiſſet, tamen illam ei faciendam fuiſſe, nedum tam facilem. Naaman qui prophetæ verba contempſerat, parens ſeruorum monitis, ex Eliſſæi præſcripto cùm ſepties ſe abluiſſet, planè curatus eſt. Ille autem qui plurimum ſe prophetæ debere tãto accepto beneficio exiſtimaret, rediit ad eum cum vniuerſo comitatu ſuo, primóque non eſſe alium Deum, niſi Deum Iſraelis ſcire ſe dixit, deinde eum rogauit, vt munera acciperet. Ipſe cùm accepturum ſe pernegaſſet, illum dimiſit. Giezi verò Eliſſæi puer, qui reſpui à domino ſuo munera vidiſſet, clam comitatum ſequutus, cùm aſſequutus fuiſſet, ſe à Domino miſſum eſse dixit, petitum à Naaman talentum vnum, & veſtes duplices. Naaman non vnum modò, ſed alterum etiã talentum dedit, quòd illum vera dicere putaret. Hoc Giezi ſcelus nõ fugit Eliſſæum. Cùm enim ſibi illo inſcio Giezi omnia quæ acceperat, retinere poſſe ſperaret, accerſitus ab eo cùm interro-

garetur, vnde veniret, negarétque ille ſe quoquam profectum eſſe: ipſe præſentem ſe fuiſſe dixit, cùm vir ex curru illi obuiam prodiiſſet. Hoc autem ſciret, à ſe, qui argentum & veſtes accepiſſet emẽdis vinetis & oliuetis aliiſque rebus, atque à poſteris ſuis, Naaman ipſius lepram nunquam abfuturam. Quæ cùm peroraſſet, in illo lepra niuis inſtar ſequuta eſt. Filij prophetarum cùm anguſtè ſe habitare cum eo apud illum queſti eſſent, ob eámque cauſam ad Iordanem ſibi eundum materiæ cædendæ cauſa cenſuiſſẽt, ipſe idem ſibi placere dixit, & vnius rogatu eò ſe contulit. Ibi accidit, vt vni cæſa materia ferrum ſecuris elapſum è manibus in amnem caderet. Is cùm rem Eliſſæo cũ lachrymis expoſuiſſet, ipſe loco indicato, præciſum lignum eò demerſerat, cùm ferrum contra naturam è profundo ſurſum nauit, quod is qui amiſerat ſaluum & integrum eius monitu porrecta manu recepit. Mirabile hoc factum eſt, ſed mirabilius id quod ſequitur, videbitur. Rex Syriæ bellum gerebat cum rege Iſraelis. Is adhibitis ſuis in conſilium, expoſuerat ſe velle certo in loco in inſidiis ex ſuis locare, vt eius rei ignari Iſraelitæ in eos imprudentes inciderent. Quod antè quàm de ſententia omnium factum eſſet, Eliſſæus rem præcognitam, ſpiritus Dei enunciatione, regi

Iſraelis indicauit. Rex Iſraelis ſtatim eò ſuos miſit, quod cùm rex Syriæ reſciuiſset, quærere cum furore cœperat, cur nemo ipſi patefaceret, quiſnam regi Iſraelis vt proditor cõſilia ſua aperiret: cùm vnus reſpondit, Eliſsæum eſse prophetam in Iſraele, qui regi Iſraelis omnia quæ in intimis ædibus diceret, ac ſtatueret, enunciaret. Iracundia incitatus ille, aut furiis agitatus potius, ſuis negotium dat, vt diligenter videãt, vbi ſit, ac ſibi renuncient, vt eum capiat. Illi comperiunt eum eſse Dothaim: quod cùm regi renunciaſsent, miſit illuc equos, & currus, ac robur exercitus. Eò cùm noctu perueniſsent, iam obſederant vrbem, cùm puer Eliſsæi prima luce egreſsus, illis animaduerſis, domino trepidans cucurrit nunciatum. Ipſe puerum, ſine metu, quòd plures cum ipſis, quàm cum illis eſsent, eſse iubens: precatus erat Deum, vt pueri oculos apperiret, ac videret: cùm ille circum dominum montem plenũ equorũ & curruum igneorum aſpexit. Hoſtes verò cùm ad illum veniſſent, Deum, vt cæcos illos aut cæcutientes efficeret, rogauit. Quo impetrato, illis dixit nõ eſse viam ad vrbem quam quærerẽt ferẽtem: itaque ſe ſequerentur, qui ipſos ad virum duceret. Cæcutientes illi eum ſequuntur: ipſe autem eos in Samariam duxit. Quõ in loco maxima eius in

illos miſericordia & clementia eluxit. Cùm enim rex Iſraelis ab eo quæreret, num illos interficeret, non modò non eſt paſſus, quòd non eſſent vi & gladio capti, verũ etiam eis præberi iuſſit omnia quæ ad victum pertinebant, ſatiatóſque dimiſit. His ita geſtis, nec ita multò pòſt, Benadab rex Syriæ cõparato ingenti exercitu Samariam obſidebat, eámque ad eum finem obſeſſit, vt iis quæ ad victũ neceſſaria ſunt, conſumptis, tãta annonæ caritas extiterit, vt caput aſini octoginta argenteis venderetur. In hac tãta annonæ caritate mulieres duæ fame coactæ, ex pacto cõſtituerant viciſsim comedere liberos ſuos. Earũ altera cùm ſuum edendum præbuiſset, nec ſocia ſtaret cõuentis, ſed ſuũ poſtridie abdidiſset, fame cõfecta cum clamore & lachrymis regem Iſraelis rogare cœperat, vt ſe liberaret, ac vitæ ſuæ conſultum vellet, narrata illi hiſtoria hac de liberis, cùm ille diſciſsa veſte in cõſpectu omniũ diris ſe deuouit, ſi eo die Eliſsæus viueret. Huius tam nefarÿ cõſilÿ ſui miniſtrum iã miſerat, cùm antequã domũ Eliſsæi veniſset, ipſe ſenibus qui cum eo conſidebant illud regis conſiliũ enunciauit, imperauítque vt nuncio oſtium nõ aperirẽt, quòd ſonitus pedũ domini ſui eũ ſequeretur. Nõdum finem dicẽdi fecerat, cùm venientem nuncium rex anteuertit, qui cùm hoc tantùm dixiſ-

ſet, cladem & calamitatem illā profectam eſſe à Deo, à quo quid prætere a expectaret, non haberet: idem iuſſu Dei prædixit, illa ipſa hora in porta Samariæ modium ſimilæ vno ſtatêre, & duos hordei ſtatêre vno venditum iri poſtridie. Res illa tam incredibilis viſa erat cuidam duci, cuius manui rex innitebatur, vt negaret id fieri poſſe, etiam ſi Deus cœlum aperiret: cùm idem ei confirmauit, fore vt rem ipſam videret, nec veſceretur. Quatuor tū leproſi fame coacti, vt ſtatuerant, ſe in caſtra hoſtium in tā certo mortis diſcrimine recipiētes, cùm ad principium caſtrorum veniſſent, inuenerunt neminem. Fecerat enim Deus, vt hoſtes audire viderentur fragorem ſonúmque & curruum, & equorum, & ingentis exercitus, quo exaudito relictis impedimentis fugerāt. Leproſi autem cùm hæc in vrbe narraſſent, primùm ſtratagema rex eſſe interpretatus eſt, deinde miſſis duobus equis ex ſex qui ſoli reliqui erant, cùm ita eſſe comperiſſēt ſpeculatores, populus omnis eò ad prædā venit, direptíſq; caſtris ea annonæ vilitas ſequuta eſt, quam Eliſæus prædixerat: túmque dux ille cuius ſupra mētionem feci, quem in porta rex collocauerat, à turba obtritus eſt. Idem mulieri, cuius filium, vt ſuprà demonſtratum eſt, excitauit, cùm famem ſeptem annorum prædixiſſet, ſua-

ſerat, vt cum familia, eius vitandæ cauſa, aliò ſe reciperet. Ea ſequuta illius conſilium, tranſactis illis ſeptem annis, cùm rediiſſet, inueniſſétque domum ſuam occupatam & agros, regem rogare cœpit, vt ſibi per ipſius æquitatẽ ſua recipere liceret. Opportunè tum Ioram rex iubebat Giezi Eliſſæi puerum narrare magna & inuſitata opera, quæ dominus ipſius edidiſſet. Nã præter alia quæ illi expoſuit, mulierem illam eſſe dixit, cuius filium qui aderat, excitaſſet. Itaque interrogata ipſa, cùm ita eſſe confirmaſſet, ſpadoni rex vt illi nõ ſolùm res ſuas omnes, verùm etiam fructus redderet, imperauit. Nec dubium eſt, quin mulier & famis incommoda vitarit, & ſua receperit Eliſſæi benignitate. Aegrotante Benadab rege Syriæ Damaſcum venerat, cuius aduentus cùm rex factus eſſet certior, miſit ad eum Hazaelem, qui apud eum inprimis erat, cum muneribus conſultum, num ex eo morbo conualeſceret. Ipſe reſponderat illum quidem conualiturum eſſe, ſed ſibi enunciatum eſſe à Deo illum propediem eſſe moriturum: cùm ſtante illo in eius conſpectu, flere cœpit. Quærenti autem Hazaeli cur fleret, reſpondit, quòd cùm Syriæ rex eſſet, Iſraelitas affligeret. Itaque poſtridie quàm Benadab domino ſalutem nunciauerat, eo ſuffocato, regnum occupauit, atque

paulò pòſt Iſraelitas ſexcentis cladibus oppreßit. Idem Iehu, qui familiam Achab, cum Iezabel eius vxore deleret, quemadmodum Elias prædixerat, regem Iſraelis vngendum curauit hoc modo. Filium prophetarum vnum, accerſitum iußit lēticula olei plena ſumpta, Ramothgalaad proficiſci, ibíque Iehu cùm inueniſſet, remotis arbitris in interiore cubiculo, oleo Dei iuſſu conſecrare, vt familiam vniuerſam Achab rex poſteà cum Iezabel prorſus deleret. Ille præcepto Elißæi cùm paruiſſet, Iehu rex ea omnia fecit, quæ Eliſſæus Dei iuſsu præſcripſerat. His tam præclaris nouíſque & inauditis rebus geſtis in morbum incidit, quo mortuus eſt. Cùm ægrotaret, Ioas rex Iſraelis eum inuiſit, cognitáque vi morbi coram eo flebat cum his verbis, Pater mi, pater mi, currus Iſraelis & auriga eius. Ipſe regi præcepit primùm, vt arcum & ſagittas afferret, deinde illis allatis, vt intento arcui manum admoueret, poſtremò manibus ſuis illius manui admotis, vt feneſtra quæ ad orientem ſolem ſpectabat aperta iacularetur. Quod cùm ille feciſset ſagittam illam ſalutis Domini eſse dixit, ſagittámque ſalutarem contra Syriam, quam vſque ad interitum in Aphec percuſsurus eſset. Iterum ſumpta ſagitta ei præceperat, vt terram feriret. Rex autem cùm tertiò terram percuſ-

ſiſset,

ſiſſet, deſtiterat, cùm ipſe iratus ei prædixit, ſi quinquies, ſexies, aut ſepties percußiſſet, futurum fuiſſe, vt vſque ad internecionem deleret Syriam. Sed quoniam ter tantùm terram percußiſſet, illum ter ſolùm eam percuſſurum eſſe. Eum Epiphanius in Samariæ vrbe Sebaſtopoli ſepultum eſſe ſcribit. Qui autē cùm in vita manebat, mortuū, vt expoſui, excitauerat, is mortuus mortuum excitauit. Nam cùm nonnulli mortuum hominem ſepelire vellent, metu ſicariorū qui illuc anno ipſo, quo ipſe mortuus erat, ex regno Moabitano irruperant, in ſepulchrum Eliſſæi cadauer proiécerant, quod cùm eius oſſa attigiſſet, reuixit homo, & ſe erexit in pedes. Ex quo facilè intelligi poteſt, multò magis, cùm ita Deo viſum eſt, excitari poſſe, vt iam excitati ſunt, homines, cùm mortuorū ſanctorum hominum, qui cū Deo regnant, oſſa attingunt, præſertim cùm Eliſſæus, cuius animus erat apud inferos, tamen hoc à Deo impetrauerit. Mortuus eſt autem xviij. Calend. Iulij, vt ſcribit Oſualdus.

AMOS PROPHETA.

AMOS *Propheta, Thecuita, vt ipſe ait, fuit, & pater Eſaiæ prophetæ, Epiphanij ſententia, etſi Hebræi negent propter literarū diſ-*

ſimilitudinem. Is ex paſtore vates factus eſt, & à gregibus ouium ad gregem ſiue Iſraelis, ſiue Iudæ, paſcendum ac docẽdum, à Deo vocatus atque delectus. Vaticinandi autem munere functus eſt, Ozia, ſiue Azaria Iudæ, & Hieroboam Iſraelis regibus, id eſt, cùm Sardanapalus Aſſyriis, atque Procas Syluius Latinis regia poteſtate præerant. Quoto anno Azariæ, qui præfuit regali poteſtate in Iuda annis duobus & quinquaginta, vaticinari cœperit, & ad quotum Hieroboam, qui vnũ & quadraginta, peruenerit eius vaticinãdi munus, inuenire non potui. Hoc autẽ certum habeo, quod dicã, cùm Ozias viceſimoſeptimo Hieroboam regis Iſraelis anno Amaziæ patri in regnũ ſucceſſerit, & Amos ipſe dicat ſe Ozia & Hieroboam regibus prophetiæ munus executum eſſe, intra duos reliquos Hieroboam annos expleſſe munus ſuũ, præſertim cùm Amaſiæ ſacerdotis filius eum, vt mox docebo, interfecerit. Hoc verò præponere volui, vt omnes intelligant, me non ſine cauſa, Amos huius vitam ante vitas Eſaiæ, Oſeæ, Zachariæ, & aliorum qui Achaz rege Iudæ vaticinati ſunt, ſcribere voluiſſe, cùm ordinem temporum, quibus quiſque vixerit, ſequi inſtituerim. Quoniam igitur intra reliquos duos Hieroboam regis Iſraelis annos, id eſt, viceſi-

mum octauum & nonũ, expleuit Amos ſuum vaticinandi munus: altero illorum cùm Iſraelis excidium, &, vt ita dicam, captiuitatem, prædiceret iuſſu Dei in Samaria, eum apud regem Hieroboam accuſauit Amaſias ſacerdos deorũ in Bethel, per nuncios. Miſit enim qui ei nunciarent, Amos ſtudere rebus nouis, illíque aduerſari & rebellare palàm, nec quenquam eius verba ferre poſſe. Hæc enim illum palàm & publicè dicere, Hieroboam moriturum eſſe gladio, captiuúmque abductum iri Iſraelem. Quid ad hæc, quæ in libro Amos ſcripta ſunt, Hieroboam reſponderit, quó ve in Amos animo ob ea fuerit, non eſt mandatũ diuinis literis, nec apud vllum ſcriptorem legi. Hoc autem ſcriptum eſt in libro, quo Amos prophetia explicatur, Amaſiam ſacerdotem, cùm miſiſſet, qui hæc Hieroboam nunciarent, aggreſſum Amos, ei præcepiſſe cum minis, vt ipſè qui propheta eſſet, è Samaria egrederetur, atque in Iudã fugeret, ibíque vaticinaretur, nec iam in Bethel quicquam vt vates prædiceret, quippe cùm ibi & vitulus aureus inſtituto maiorum coleretur, & regia eſſet collocata. Ad hæc reſpondit Amos ſe cùm propheta non eſſet, neque prophetæ filius, ſed armentarius, qui ſycomoros excuteret, vocatum eſſe à Deo, qui ſibi imperaſſet, vt Iſraeli populo

ſuo res futuras vt vates prædiceret. Itaque verba Dei audiret, qui, quòd ille vetaret ne res futuras prædiceret Iſraeli, familiæque deos colenti, ei nunciaret vxorē ſuam in vrbe ſtupro contaminatum iri, liberóſque gladio perituros, terram quam poſſideret, hoſtes inter ſe diuiſuros, ipſum verò in regione inquinata eſſe moriturū, & è terra ſua captiuum abductum iri Iſraelem. Ne hoc quidem ſcriptum inueni, quid ad hæc reſpõderit Amaſias ſacerdos. Illud autem Epiphanius ſcribit, illius filiū, fuſſe percuſſis Amos temporibus, eum interfeciſſe, quòd conuiciſſet ipſum inſidiis abſtuliſſe buculas duas aureas: & inde in patriam perlatum adhuc ſpirantem, ibi mortuum eſſe, ac ſepultum cum maioribus ſuis. Oſualdus qui Carolo Magno imperatore ſcripſit librum qui Martyrologium inſcriptus eſt, eum ab Ozia rege Iſraelis, pridie Calendas Aprilis per tempora vecte transfixum, ſeminecem in patriam vectum, ibique ſepultum eſſe narrat.

ABDIAS PROPHETA.

ABDIAS *propheta Sichemitanus erat, ex agro Beththacha marino, vt Epiphanius ſcribit. Idem memoriæ prodidit, illum eſſe ter-*

tium præfectum quinquaginta, qui ad Eliam miſsus eſt ab Ochozia rege Iſraelis. Nam cùm Ochozias per cancellos cecidiſset, atque eo caſu in morbum incidiſset, ignarus num ex illo morbo conualiturus eſset, miſerat legatos conſultum Beelzebud deũ Accaron de morbo, cùm Deus Eliam miſit qui eis, antequam eò venirent, præciperet, vt redirent ad dominum ſuum nunciatum, quòd ipſe conſultum illum Deum miſiſset, quaſi nõ eſset Deus in Iſraele, eum è lecto nunquam ſaluum & incolumem ſurrecturum eſse. Quod cùm illi nunciaſsent, íſque ex habitu & ornatu intellexiſset Eliam eſse qui hæc præcepiſset, ſemel atque iterum quinquagenariũ præfectum cum ſuis miſit, qui Eliam ad ſe accerſerent: qui cùm de cœlo tacti mortui eſsẽt, tertium quinquagenarium ducẽ cum quinquaginta miſit, qui cùm ſuppliciter Eliam rogaſset, vt ſui ac ſuorũ miſereretur, ignouit. Atque hic tertius, vt Epiphanius confirmat, fuit Abdias hic, cuius vitam ſcribimus. Eundem ſcribit poſtea deſerto ordine, in quo eum rex collocauerat, ſequutum eſse Eliam, eiúſque fuiſse diſcipulum, & multa perpeſsum, ſeruatum eſse illius nomine. Hieronymus autem ſcribit, hũc ipſum eſse illum Abdiam Hebræorum ſententia, qui Achab rege Samariæ, pauit in ſpecubus centum prophe-

tas. Quod cuiuſmodi ſit, vt intelligatur, libet rem altiùs repetere. Elias iuſſu Dei Achab regi Samariæ prædixerat fore, vt intra triennium & ſex menſes pluuia ex cœlo in terram non effunderetur. Paulò pòſt iuſſu Dei, primùm ad torrentem Carith ſe contulit, & inde in vrbem Sidoniorum Sareptam, ne ab Achab interimeretur. Tertio anno miſit eum ad Achab Deus, vt terræ pluuiam daret. Ex ſiccitate autem ſequuta erat tum fames tanta, vt tandem Achab qui Eliam cauſam tanti mali crederet, coactus ſit diuiſis regionibus imperij ſui, Abdiæque præfecto prætorio certa via attributa, ipſe alia quæreret fontem, ne equi, & muli, ac iumenta ſiti interirent. Ita autem accidit Dei prouidētia, vt Abdiæ in via obuiam fieret Elias, quo animaduerſo, & cognito, in faciem ſuam pronus Abdias cadens, rogauit eũ, an non Elias eſſet. Elias autem cùm ſe eſſe dixiſſet, eique præcepiſſet, vt iret nunciatum domino, adeſſe Eliam, quæſiuit ab eo, quid ſceleris admiſiſſet, vt ſe ſeruũ ſuum certa morte mulctandum Achab traderet, cùm nulla eſſet gẽs, nulla natio, nullumq́; imperium, quò ille non miſiſſet, qui eum quæreret, vbi cùm omnes reſpõdiſſent, ipſum abeſſe, illũ eos omnes, vt ita dicam, adiuraſſe: & tamen eum ſe mittere nunciatum ipſum adeſſe, quem cùm ſpiritus

Dei quò vellet tranſtuliſſet, nec inuentus eſſet diu multúmque requiſitus, ipſe ab Achab interficeretur. An nõ fama aut ſermone aliquorum ad ipſum perlatũ eſſet, cùm Iezabel regina prophetas interficeret, centum à ſe prophetas quinquagenos in ſpecubus abditos, pane & aqua refectos eſſe? Is tamen cùm nihilo minus præciperet, vt regi ſe adeſſe nunciaret, paruit. Achab autem non eo animo quo debuit, obuiam Eliæ, cùm illum adeſse ex Abdia cognouiſset, prodiit. Nam primo congreſsu, ab eo quærere cœpit, an non Elias eſset, qui res Iſraelis perturbaret: quod cùm non ſolùm negaret, ſed cõtrà, illum eum eſse confirmaret, qui neglectis Dei præceptis, Baalim coleret, cum tota familia & maioribus, præceperat vt ad ſe in Carmelum montem Iſraelitas omnes, prophetáſque dei Baal conuocaret: quò cùm conueniſsẽt, ea ſequuta ſunt omnia, quæ & nota ſunt, et à nobis in Eliæ vita explicata pluribus. Ergo, vt ad propoſitũ reuertamur, Hieronymus ex Hebræorũ ſententia hunc eſse Abdiam exiſtimat: neque hũc ſolùm, ſed quinquagenarium etiam, de quo diximus: vt vnũ eundémq; eſse arbitremur. Ait enim principio cõmentariorum, quibus Abdiæ huius librum illuſtrauit & explicauit, Abdiã quòd pauerat centum prophetas, & munus vaticinãdi accepiſse,

& ex duce exercitus factum eſſe Eccleſiæ ducem. Propheta hic, ſi ſcriptum ſequamur, Idumææ euerſionem, Iudææque reſtitutionem prædicit: Si ſententiã ſpectemus, Gentium euerſionem, Chriſtíque Eccleſiæ per Apoſtolos ædificationem. Breuis eſt ille quidem verborum copia & multitudine, ſed longus pondere ſententiarũ. In patria ſua mortuus & tumulatus eſt. Quanquam ſepulchrũ eius cùm Mauſoleo Eliſſæi prophetæ ac Ioannis Baptiſtæ in vrbe Sebaſte, quæ olim Samaria diceretur, in honore ac veneratione haberi, ſcribit Hieronymus.

OSEE PROPHETA.

OSEE *primum omnium prophetarum putat Hieronymus. Is Beeri patre natus eſt, prophetiæque munere functꝰ Hieroboam Ioas filij regis Iſraelis, atque Oziæ, Ioatham, Achaz & Ezechiæ Iudæ regibus. Ex quo longiſſima eius vita intelligi poteſt. Nã cùm Hieroboam nouem & viginti annis regali poteſtate præfuerit, Ozias quinquaginta duobus, Ioatham ſedecim, totidẽ Achaz, & Ezechias viginti nouẽ, etſi quoto anno Hieroboam cœperit, quotóque Ezechiæ deſierit vaticinari,*

certum aliquid tradere non poſſum, tamen hoc intelligi arbitror, eũ quatuor & octoginta annis, & eo amplius eſſe vaticinatum: ad quos ſi addamus eos quos natus erat, cùm res futuras prædicere cœpit, & eos quibus vixit Ezechia rege, & quoad mortuus eſt, quos ignoramus, diuturnam illum vitam egiſſe fatebimur. Hic Oſee iuſſu Dei Gomer ſcortũ in matrimonium accepit, ex qua tres ſuſcepit liberos, quibus impoſuit etiã illius iuſſu nomina, primigenio Hierazelis: filiæ, vacantis miſericordia, ſiue deſtitutæ: tertio, non populi mei. Hieronymus, qui reuera hoc geſtum eſſe exiſtimat, negat id vitio vertendum Oſee, ſed potius laudi eſſe tribuendum, quòd ex mala bonam fecerit, nec libidinis cauſa cum illa matrimonium inierit, ſed iuſſu Dei. Quod autẽ iuſsu Dei fit, cum vitio coniungi non poteſt. Nec verò hoc Deus ſine cauſa fieri voluit, ſed vt ſignificaret, quod ei vt prædiceret imperauit, regni Iſraelis, id eſt, decem tribuum, quæ deos peregrinos, auctore Hieroboam eiúſque poſteris, coluiſsent, euerſionem eiuſmodi, vt nec miſericordia Deus in illas cõmoueretur, nec populum ſuum eas duceret, aut vocaret. Atque hæc ipſa quæ reuera euenerunt, deteſtationem ſignificant Iudæorum: vt altera mulier, quam idem propheta iuſsu Dei ama-

uit, Gentium vocationem. Atque in his ferè duobus tota Oſee prophetia conſumitur.

IONAS PROPHETA.

IONAS *propheta Amathi filius, Sareptanus Sidonius. Epiphanius enim, & Hieronymus, atque adeò Hebræi, vt hic ait, eũ Sareptanæ viduæ filium, quem Elias excitauit, volunt eſſe. Quod quemadmodum acciderit, etſi alio à nobis dictũ eſt, tamen hoc loco, vt proprio, nõ alienum erit exponere. Elias quidẽ cùm famem, quæ trium annorũ & menſium ſex fuit, Achab regi Iſraelis prædixiſſet, iuſſu Dei, conſpectũ Achab fugit, primúmque ad Iordanem in torrente Carith habitauit, quoad torrens exiccatus eſt: deinde Sareptã Sidoniorum vrbem ſe recepit. Ad vrbis portam cùm veniſſet, viduam, vt Deus prædixerat, offendit ligna colligentem. Illa, Eliæ iuſſu cùm lenticulã, in qua aliquid olei inerat, & hydriam in qua aliquid farinæ, attuliſſet: etſi vtrunque ſibi ac puero parare dixiſſet, vt cùm comediſſet, morerentur: tamen oleum illud eius precibus ita creuit, vt poſteà nulla eius facta ſit deceſſio. Hoc tam nouo inauditóque Eliæ opere adducta*

eſt illa vidua, vt cùm filius ipſius ex morbo, nec ita multò pòſt, moreretur, conqueſtum ad eum venerit de morte pueri, quaſi illius cauſa eſſet eius aduentus. Elias qui & mortem pueri grauiter ferret, & matris luctũ ac lachrymas, cùm in cœnaculum eum portaſſet, in lectulo tertiò ſe in ipſo extendens, precibus ab inferis excitauit, matríque viuum reddidit. Hic excitatus puer cùm adoleuiſſet, ei Deus præcepit, vt Niniuem Aſſyriorum vrbem maximã, veritatis nunciandæ prædicandæque cauſa, proficiſceretur: diuinóque præcepto non parens, vt Ioppen Iudææ portum venit, ibi nauem ſoluentem in Tharſis inuênit, datóque naulo, conſcenſa naue, cum cæteris in Tharſis nauigauit. In mari autem ventus ingens ſtatim Dei permiſſu coortus eſt, tempeſtáſque tanta, vt nauis in maximo verſaretur diſcrimine. Hinc cæteri timore perterriti, ſuum quiſque Deum precabantur, iaciebántque vaſa in mare, quo leuior onere ſublato nauis eſſet: ipſe autem in carina dormiebat. Itaque gubernator, qui illum, cæteris metuentibus, atque deos ſuos implorãtibus, tamen in tam certo periculo dormientem hoc negligere exiſtimaret, eum excitauit, iuſſítque precari, exemplo aliorum, Deum ſuum. Intereà inter omnes conuênit, eíſque placuit, ſortibus videndum,

cur malum illud accidiſſet, eáque ſors ei obtigit. Hinc eum rogant vt exponat, cuius cauſa & culpa malum eiuſmodi omnibus accidißet: quærúntque, vnde veniat, quo eat, cuias ſit, & quam artem exerceat. Ipſe Hebræum ſe eſſe dixerat, Deúmque cœli timere ac colere, qui mare terrámque fecerit, ſeque eius conſpectum fugere, cùm illi timore magno perterriti, ab eo quærere cœperunt, cur hoc mali feciſſet, quídq; ipſi facerent, vt periculo illo liberarentur. Cùm dixiſſet, malum illud cauſa culpáque ſua accidiſſe, itaque ſi ſe in mare deieciſſent, fore vt ſecundo vēto tranquillóque mari vterentur: eum in mare proiiciunt, rogantes Deum, ne hoc ſibi noxæ eſſe vellet. Iacturam eius, id quod mirabile videbitur, ſequuta eſt incredibilis maris trāquillitas: quod cùm illi animaduertiſſent, immolatis hoſtiis Deo, quem ex hoc facto vehementer metuerant, vota ei nuncupauerunt. Deus autem Ionam ſeruum ſuum nō neglexit aut deſeruit, ſed ingentem piſcem parauit, qui illum excipiens deuorauit, non tamen conſumpſit, ſed integrum ad tertium vſque diem cuſtodiuit in aluo, quo ex ea ſaluū & incolumem in terram euomuit. Ex piſcis verò ventre ſentiens tā magnum in ſe Dei beneficium, ei gratias egit, enumeratis periculis à quibus ipſum liberaſſet. Cùm

ab eo periculo liberatus eſſet, Deus ei iterū præcepit, vt Niniuem magnam vrbem iret, in qua ea quæ præſcriberet, nunciaret ciuibus. Ibi cùm diei vnius iter confeciſſet, hoc palàm ac publicè denunciauit omnibus, intra quadrageſimum diem euerſum iri ciuitatem. Niniuitæ nō neglexerunt aut contempſerunt Ionæ, id eſt, hominis peregrini ac exteri, & abiecti, quem nunquam viderāt, orationem, ſed ea approbata, ieiunium publicè denūciauerunt, amictóſque ſaccis & cilicio pœnituit flagitiorum vitæ ſuperioris. Nec verò hæc vitæ mutatio priuatorum hominum tantùm fuit, ſed magiſtratuum ac principum omnium. Cùm enim, vt fit, ſermone multorum & fama, illa eius de vrbis euerſione ad regē perlata eſſet prædictio, non aliis ac ſuis, vt alij ſolent, præſcripta & edicta pœnitentiæ forma & ratione, ipſe pro more in deliciis ac voluptatibus vitam egit, ſed ſolij oblitus, abiecto & ſe & ornatu regio, amictus eſt primùm ſacco, ſedítque in cinere, deinde edicto cauit, ne non ſolùm viri ac mulieres, ſed ne pueri quidem, nec pueri ſolùm, verū etiam beſtiæ, quæ ſunt expertes rationis natura ſua, quicquam cibi & pabuli caperent, & biberent, ſed ſaccis ac ciliciis amicti homines rogarent Deum, omnéſque vitæ ſceleratæ viam mutarēt. Neminem enim ſcire, num

Deus placatus velit ignoſcere. Hoc loco Niniuitarum prudentiam in mutanda vita laudare & augere poſſem multis rationibus, niſi vitam Ionæ ſcriberem, id eſt, nudam rei vt geſta eſt expoſitionẽ explicarem. Regem autem illa ſua de Deo opinio nõ fefellit. Nam cùm illos omnes edicto regis abſtractos à facinoroſa viuendi via vidit, eorum miſertus eſt, nec vrbẽ, ſicuti conſtituerat, euertit. Quæ quidem Dei miſericordia maximum Ionæ dolorẽ attulit, vel ne apud Niniuitas mentitus videretur, quòd abſolutè intra quadraginta dies Niniuem euerſum iri nunciarat, vel quòd intelligeret populum Iſraeliticum eſſe periturum. Itaque Deũ rogauit, vt ſe à vita iuberet diſcedere, quòd mori mallet, quàm illud euenire, etiamſi illum ſciret ſumma eſſe clementia præditum. Rogatus à Deo, iuſtúmne putaret dolorem ſuum eſſe, egreſſus eſt ex vrbe, paratóq; ſibi loco ad vmbram qui orientem ſpectabat, ex quo quid vrbi eueniret, tutò ſpectaret, hederam Deus, quæ illi vmbram faceret excitauerat, cuius ex aſpectu incredibilem animo cœpit voluptatem. Sed cùm idem vermem poſtridie prima luce excitaſſet, qui paulatim aſcendens, hederam ita deroſit, vt Solis calorem ipſe ſentiens, mortem optaret, eúmque rogaſſet, num rectè ob hederam deroſam iraſceretur, atq;

ille reſpondiſſet, dolorem ſuum ſpectare ad mortem: tum ea dixit illi, quibus maximam miſericordiam ſuam in genus hominum vel apertiſſimè declarauit. Quæſiuit enim, æquúm ne eſſet illum, hederæ interitum moleſtè ferre, quam nec ſeuiſſet, nec feciſſet vt creſceret, ipſum autem vrbi illi non ignoſcere, in qua eſſet amplius centum viginti millia hominũ, qui non poſſent bonum à malo internoſcere. Quid ad hæc Ionas reſponderit, aut quid poſteà egerit, non eſt memoriæ proditum. Quanquam Epiphanius ſcribit eum poſteà in patriam rediiſſe, quam ſibi iam incolendam non putauit, ne ciues ſui ſibi obiicerent falſam ſuam de Niniue eſſe prædictionem. Itaque cum matre Suram profectũ in Saar habitaſſe, ibíque mortuum eſſe, ac ſepultum in ſpecu Cenezei Iudicis.

IAHAZIEL PROPHETA.

IAHAZIELEM *prophetam vaticinationis munere ſemel tantùm functum eſſe reperio, ídque apud Ioſophat regem Iudæ, hoc modo. Ammonitæ & Moabitæ, conuocato ingenti exercitu, cum Ioſaphat rege Iudæ gerere bellum decreuerant. Quod cùm ex nunciis accepiſſet, hoſtéſque iam in imperij ſui fines irrupiſſe, diffi-*

ſus ſibi ac viribus ſuis totum, ſe cõtulit ad Deũ, eúmque rogauit, vt ipſe qui nationes omnes ſuperioribus tẽporibus victas ex illis terris expuliſſet, vt in eis populum ſuum, quemadmodum Abrahæ promiſiſſet, incolas conſtitueret, ſe ac ſuos in dubiis rebus audiret. Ammonitas & Moabitas venire in ſe infeſto exercitu, ingratos nec memores beneficij liberationis, cùm eius iuſſu ex AEgypto profecti maiores, duce Moſe, cæteris populis deletis, his duobus peperciſſent. Scire ſe non poſſe tantæ multitudini obſiſtere, niſi ipſe qui poſſet omnia, et ad quẽ confugeret, ferret auxilium. Nec verò rex ſolus Deum precabatur, verùm etiã Iudæi omnes cũ vxoribus ac liberis ſuis. Erat in his Iahaziel hic, Zachariæ filius Leuita, qui longo ordine ab Aſaph, quẽ Dauid cãtorem habuerat, oriũdus erat. Is permotus Dei ſpiritu, ex media turba, Ioſaphat & cæteris Dei iuſſu prædixit ac denũciauit, ne tantam multitudinem timerent, neque enim eorum eſſe pugnam, ſed Dei, qui poſtridie hoſtes funderet ac fugaret. Hoc ipſum poſtero die accidit, non vt quiuis exiſtimauerit: Neque enim Ioſaphat eiúſque exercitus pugnãs hoſtes vicit, ſed ſe ipſi mutuis vulneribus deleuerunt. Quod cùm Iudæi animaduertiſſent, tantum prædæ inuenerunt, vt ne tertio quidem die eam portare potuerint.

potuerint. Hinc ouantes, Hieroſolyma cum lyris ac tympanis laudantes Deum reuerſi ſunt.

ELIEZER PROPHETA.

ELIEZER *propheta, Dodan Mareſani filius, hunc etiam ſemel ſolùm prophetiæ munus, atque id apud eundem regem, id eſt, Ioſaphat, obiiſſe inuenio. Nā cùm rex ille cum Ochozia impio rege Iſraelis iniiſſet inimicitias, particépſque fuiſſet cum eo conſilij de ædificanda claſſe, quæ in Tharſes proficiſceretur, ea diuinitus fracta in mari, Eliezer hic à Deo miſſus eſt, qui ei nunciaret, quòd fœdus cū Ochozia feciſſet, Dei nutu claſſem fractam eſſe in mari; nec potuiſſe in Tharſes peruenire.*

ESAIAE PROPHETAE VITA.

ESAIAS *propheta, Amos patre natus eſt, propheta cuius prophetia extat, vt placet Epiphanio, vel altero propter diſsimilitudinem literarum, Hieronymi ſententia. Is vaticinandi munere functus eſt, Ozia,*

Ioatham, Achaz, & Ezechia Iudæ regibus, eiúſque prophetia ſiue prædictio ad Iudam & Hieroſolymã maximè pertinet. Quid vnoquoque rege prædixerit, incertum eſt, niſi Achaz & Ezechia ad quos, vt mox dicam, miſſus eſt. Quanquã hoc intelligere poſſumus, eũ illa quæ à principio libri diſſerit, ad eum locum, in quo Achaz regis mentionẽ facit, prædixiſſe, Ozia & Ioatham regibus: & quæ ſequuntur, ad eum locum, in quo de Ezechia loquitur, Achaz rege: & inde vſque ad librum extremum, Ezechia rege. Ad Achaz quidem miſſus eſt, hac occaſione. Raſin rex Syriæ, ac Phacee Romeliæ filius rex Iſraelis, coniunctis copiis & viribus Hieroſolymam oppugnantes, capere nõ potuerant. Hoc enim Achaz magno timore perterrito Eſaiam Deus iußit prædicere; antè quàm exercitum eduxiſſent, Phacee regem Iſraelis ſocietatem feciſſe cum Raſin rege Syriæ, quo faciliùs regno Iudæ occupato, illũ expellerent ipſi, ac filium Tabel pro eo regem conſtituerent: ſed ne timeret, neque enim ita euẽturum eſſe, vt illi cogitauerant. Illi etiam iuſſu Dei præcepit, vt ſignum à Deo peteret ſiue in cœlo, ſiue apud inferos. Cúmque ille petiturum ſe, ac tentaturum Deum negaret, non quòd ſe ſubmißè gereret, ſed quòd colens deos peregrinos, Deo on crede-

ret, & tamen id diſsimularet: Eſaias illum, atque eos qui ipſi parebant, obiurgans, quòd non ſolùm hominibus faceſſerent negotiũ, ſed etiam Deo, ſignum eiuſmodi à Deo datum iri prædixit. Virginem fore dixit, quæ conciperet ac pareret filium, quem Emmanuelem, id eſt, Nobiſcum Deum, vocarent. Ezechia autem rege partim conſultus eſt, & rogatus, vt Deum precaretur: partim ad illũ miſſus eſt: quod quemadmodum & quamobrem geſtũ ſit, paucis exponam. Sennacherib rex Aſſyriorum irrũpens in regnum Iudæ, vrbes omnes munitas ceperat, Rapſacémque magiſtrũ militiæ Hieroſolymam miſerat, qui cum Ezechia de deditione verba faceret. Ezechias timore perterritus, ad Rapſacem miſit tum Eliachim Helciæ filium præfectum prætorio, Sobnã Scribã, & Ioahe Aſaph filium à commentariis, qui cùm verba multa, quæ cùm ad Regis ignominiam, tum ad Dei decus, quaſi ſuis opem ferre non poſſet, pertinentia audiſſent, & Ezechiæ renunciaſſent: ipſe diſciſſa veſte, amictus ſacco in templum Dei ingreſſus eſt, miſsis illis tribus eodem habitu ad Ezechiam, qui ei primùm eadem exponerẽt, deinde illum rogarent, vt Deum precaretur pro iis qui in eius fide permanerent. Eſaias Dei iuſſu præcepit vt Ezechiæ renunciarent, ne time-

ret, Sennacherib enim Dei ſpiritu permotum audito nuncio rediturum eſſe in Syriam, atque ibi moriturum gladio. Renunciarunt hæc Regi, ſed quoniam interim Sennacherib nuncios miſit, qui ad Ezechiam perferrent libellos, quibus grauiora in Deum conuicia continebantur, ipſe vel acceptos, vel ereptos è manibus legatorum recitauit primùm, deinde in templum ingreſſus, rogauit Deum ſupplex multis verbis, vt Sennacherib iniurias & cõtumelias vlciſceretur, ſuóſque liberaret. Eiuſmodi regis precibus adductus Deus, per Eſaiam multis verbis liberationẽ futuram expoſuit, ſignáque declarauit, ex quibus ille rem cõperiret. Quæ cùm eueniſſent omnia, cæſis centum octoginta quinque millibus Aßyriorum, ac paulò pòſt Sennacherib in Syria, ſecura pax ſequuta eſt. Cauſa deinde cur ad eundem mitteretur, extitit talis. Aegrotabat Ezechias, íſque morbus vitam petebat. Itaque ad eum Deus Eſaiam miſit, qui eum moneret, vt ſibi ac ſuis rebus conſuleret, quòd eſſet ipſe moriturus. Hoc ille nuncio perterritus, Deum precatus erat ſtatim, vt ſui miſereretur, cùm ab eodẽ iterum miſſus eſt, nondum egreſſus ex atrio, qui illi nunciaret, auditas eſſe ſuas preces, aſpectáſque lachrymas, ob eámque cauſam, quindecim annos præterea illum eſſe victurum in eiuſmodi

fœlicitate, vt & ipſe, & vrbs à rege Aßyriorũ liberaretur: idq́ue ipſum hinc intellecturum eſſe, quòd vmbra ſolis in horologio Achaz decem gradibus regrederetur. Tum verò denique rex conualuit, cùm Eſaiæ iuſſu emplaſtrũ ex maſſa carycarum confectum vulneri adhibuit. Berodach Babyloniorum rex, cùm Ezechiam ex illo morbo conualuiſſe audiſset, miſit ad eum per legatos literas gratulatorias & munera. Ille autem legatis explicauit, oſtendítque omnia quæ eximia & præclara in theſauris habebat. Quod eius factum, vt arrogãtiæ & gloriæ plenum, ſic Deo ingratum fuit, vt Eſaiam hunc miſerit, qui ei diceret, quòd hoc ipſum feciſſet, fore vt aliquando ea omnia, quæ haberet domi, auferrentur, atque eius poſteri ſpadones eſſent in regis Babyloniorum palatio. Ad hæc Ezechias nihil reſpondit, niſi honeſtã æquámque eſſe Dei orationem: tantum pax eſſet, dum viueret. Atque hæc de Eſaia in ſcriptis diuinis reperi. Epiphanius autem ſcribit, eum à Manaſſe ſectum eſſe in duas partes, ac ſubter quercum Rogel ſepultum. Idem tàm planè & apertè de religionis noſtræ myſteriis, veluti de Chriſti conceptu, ortu, concionibus, ſiue prædicatione, miris operibus in curandis morbis, morte, reſurrectione, atque aſcenſu dixit, vt non prædicere ea futura, ſed

præſentia aut futura narrare videatur. Itaque nō tam prophetā illum & vatem, quàm Euangeliſtam videri vult Hieronymus.

IOELIS PROPHETAE VITA.

IOEL *propheta. Is, vt ait Epiphanius, Bethorius erat ex tribu Ruben, natus autem Phatuele patre. Ex libro prophetiæ eius nō conſtat, quo quibuſue regibus vaticinatus ſit, aut vixerit: Hieronymus autem ſcribit, eum vaticinatum eſſe iiſdem regibus, quibus Oſee, id eſt, Ozia, Ioatham, Achaz, & Ezechia: idémque vult, omnia quæ prædixit, ad regnum Iudæ & Hieroſolymam tantùm, non etiam ad Iſraelem pertinere. Quāquam multa de aduentu ſpiritus ſancti ad Apoſtolos, vel Petro Apoſtolo interprete, dixit: multa de pœnitentia, quam in ſuis Deus deſiderat. In patria porrò honorificè, vt ait Epiphanius, ſepultus eſt.*

MICHAEAE PROPHETAE VITA.

MICHAEAS *Moraſthites (Moraſthi autem Palæſtinæ eſt viculus) ex tribu Ephraim, vt ſcribit Epiphanius, functus eſt prædicēdi vaticinandiq; munere, Ioathā, Achaz,*

& Ezechia Iudæ regibus. Nihil de prophetæ huius, vt etiam de aliis multis, vita, ſcriptũ reperimus, tãtùm extat libellus, quo eius prophetia explicatur. Ea autem ad Samariam quidem & Hieroſolymam propriè pertinet, ſed ad Chriſti etiam ortum aliqua ex parte refertur, beato Matthæo Apoſtolo & Euangeliſta interprete, qui locum illum quem de Bethleem accipi videmus, de loco, in quo Chriſtus natus eſt, accipit & intelligit. Quoniam autem primùm ſcelera ſua in Deum, deinde ea quæ in proximos concipiebant & admittebant tam Iſraelitæ, quàm Iudæi, reprehendit: eis improbatis, quid faciendum ſit, non illis modò, verùm etiam omnibus, indicat & exponit. Ait enim hoc in bonis eſſe, atque à Deo poſtulare, vt faciamus iudicium, ideſt, quod animo rectè ſtatuerimus, perficiamus: & miſericordiam ſiue benignitatem amemus, ſolicitéque ac diligenter Deum ſequamur. Scribit Epiphanius, eum, quòd impia ſcelera Ioram regis Iudæ reprehenderet ac culparet, præcipitem ab illo datum eſſe, atque poſteà in patria ſua ſepultum cum honore.

ODED PROPHETA.

ODED *propheta, ſemel tantũ prophetiæ munere functus, Achaz Iudæ rege, inuenitur.*

Cùm enim Zechri Ephraita Maaſiam regis filium Erzicam præfectum prætorio, & Elcanam, qui ſecundum regem plurimùm poterat, interfeciſſet: Iſraelitæq; prætereà captis ducentis millibus Iudæarum mulierũ, cum liberis infinitáque præda, omnia in Samariam abducerent: Oded hic tum, qui ibi erat, egreſſus obuiam victori exercitui venienti, expoſuit factum illud minimè gratum eſſe Deo, qui paſſus eſſet occidi pro ſceleribus ſuis Iudæos, quorum mulieres, liberos atque fortunas, cõtra ius abducerent & diriperent. Itaque ſequerentur cõſilium quod illis daret, Quamprimùm captiuos reducerent, ne Dei furor in eos exardeſceret. Hæc Azariæ, Barrachiæ, Ezechiæ & Amaſæ ducibus narrauit, qui ſubitò ſuis eadem nunciarũt, eiſque auctores fuerunt, vt reducerent captiuos, prædámque omnem, vt ſacram, reſtituerent, ne ira Dei in ipſos deſæuiret. quod illi tanta cum religione ſtudióque fecerũt, vt eos qui nudi erãt, veſtitos, imbecilles in iumenta impoſitos, curatis corporibus, remiſerint.

NAHVM PROPHETA.

NAHVM *Elkeſæus (eſt autem Elkeſis viculus in Galilæa, quem ſibi monſtratum eſſe ſcribit Hieronymus) ex tribu Simeonia, quem-*

admodum Epiphanius memoriæ prodidit . Is Niniues, ac Niniuitarum euerſionem prædixit, cùm anteà, vt docui, Ionæ prophetæ prædictione adducti, mutatione vitæ ſuperioris, tum veniam à Deo impetrauiſſent. Rege Ezechia functus eſt prophetæ munere, vt placet Hieronymo. Tandem in patria exceſſit è vita, ibique ſepultus eſt.

HIEREMIAE PROPHETAE VITA.

HIEREMIAS *propheta, Helchia patre natus eſt ex tribu Beniaminia ſacerdos Anathothita. Is vaticinatus eſt, quemadmodum ex principio libri eius prophetiæ intelligi poteſt, ab vndecimo anno Ioſiæ Amonis regis Iudæ filij, vſque ad vndecimũ annum Sedechiæ, quo in Babylonem captis Hieroſolymis abductus eſt, cum reliquiis regni Iudæ, Sedechias, vt ipſe conſtanter prædixerat, Dei iuſſu, id quod magnorum malorum cauſa ei fuit. Nam & catenis vinctus, & in carcerem atque lacum tetri odoris coniectus eſt, nec tamen his malis cogi potuit inuictus eius animus aliter aut ſentire aut prædicere, falſis etiam vatibus contra prædicentibus. Quod quoniam ad eius*

laudem maximè pertinet, quemadmodum, quóque ordine, geſtum ſit, inſtitui exponere. Deus eum Topheth ea prædictum & expoſitum, quæ iuſſerat, miſerat, quo ex loco cùm venìſſet Hieroſolymam, in atrio templi ſtans, vniuerſo populo libera voce nũciauit, ea mala omnia euentura & vrbi, & incolis, quæ euentura prædixiſſet Deus, quòd ipſius præceptis non parérent. Eius ſermonem eiuſmodi ferre æquo animo non potuit Phaſſur pontifex maximus, ſed cæſum ſtatim in neruum coniecit. Poſtridie, prima luce, cùm illum Phaſſur eduxiſſet, quacunque de cauſa (neque enim ſcriptum reperi) ipſe conſtanter ac liberè confirmauit, non Phaſſur vocatum illum eſſe à Deo, ſed pauorem omni ex parte. Deum enim pauore & eum conſternaturum eſſe, & illius amicos, ſic vt hoſtium gladio illo ſpectante confoderentur: Iudámque omnem Babylonij regis manibus interficiendum traditurum, cum omni ſupellectile. Phaſſur autem ipſum eò captiuũ cum omni familia abductum iri, ibíque moriturum, & amicos omnes, quibus vaticinatus eſſet quæ falſa eſſent. Quid ad hæc Phaſſur reſpõderit, quídve eis impulſus egerit, non eſt mandatum diuinis literis. Principio autem regni Ioakim Ioſiæ filij, iuſſu Dei ſtans in templi Dei atrio, omni-

bus qui ex vrbibus Iudæ Hieroſolyma cũ adoratum venerant, denunciabat, niſi legem ipſius obſeruarent, fore vt & templo id, quod Silo acciderat, eueniret, & vrbem ipſam nationes omnes deteſtarẽtur. Sacerdotes, falſi prophetæ, atque populus qui eum hæc dicentem audierant, cùm comprehendiſſent, ob eam cauſam morte mulctandum eſſe primùm inter ſe, deinde principibus, qui audita hac ſentẽtia, ex regia in templum ſe contulerant, dixerãt, cùm ipſe facta dicendi poteſtate, ſe à Deo miſſum eſſe dixit, denunciatum quæ dixiſſet omnia. Itaque ipſi mutata vita, præceptis Dei parérẽt, qui ita demum mutaret ſentẽtiam, ne ea quæ inſtituiſſet, faceret. Nam quod ad ſe attinebat, ſe quidem in eorum eſſe poteſtate, vt quæ vellent, in ſe ſtatuerent: hoc tamen intelligerẽt ac ſcirent, ſi ipſum interficerent, eos inſontem contra ſe atque vrbem ipſam eſſe occiſuros, quippe cùm Deus eum miſerit, qui illa omnia eis prædiceret. His eius verbis adducti optimates ac populus, ſuaſerunt ſacerdotibus & falſis prophetis, ne illum, qui à Deo miſſus eſſet, interficerẽt. Atque in his maiores natu quidam ſurgentes, exemplo Michææ prophetæ, qui Ezechia rege de vrbis excidio multa prædixiſſet, nec tamen pœna capitis condemnatus eſſet, ſed homines qui tum erant, mu-

tatione vitæ, precibus & lachrymis Deum placaſſent, omnes deiecerũt de ſentẽtia. Sed in hoc maximè Ahicham Saphan filij enituit opera et diligentia, ne morte mulctaretur. Eodem rege præcepit ei Deus, vt Rechabij nepotes ac poſteros qui Rechabitæ appellabantur, in templum introduceret, eiſque vinum daret. Illi autem à Ionadab patre in mandatis acceperant, vt à vino abſtinerent. Itaque cùm vinum iuſſu Dei illis Hieremias dediſſet, præcepti huius parẽtis ſui excuſatione vſi, omnino ab vſu vini abhorruerunt. Quod rectè factũ ab eis non eſſet, ſi Deum illis hoc præcipere dixiſſet. Deus autem hoc illorum exẽplo, Iudæorum deprauatos corruptóſque mores voluit oſtendere. Miſit enim poſtea Hieremiam, qui illis indicaret, quàm grauiter peccarent, quòd Rechabitæ illi iuſſu patris in omni vita à vino abſtinerent, cùm ipſe illos per prophetas, quos plurimos miſiſſet, conatus eſſet à facinoroſa vita abducere, neque præ eorum obſtinata voluntate potuiſſet. Hinc & Iudæos oppreſſũ iri malis, inedia, peſte, captiuitate, denunciauit: Rechabitis autem, nunquam defuturum apud ſe eorum genus promiſit, quòd tanta cum animi conſtãtia patris ſui præceptis obtemperaſſent. Quarto autem imperij eiuſdem regis anno, eidem præcepit Deus, vt in codice cala-

mitates omnes, quibus regna Iſraelis & Iudæ oppreſſurus eſſet, ſcriberet, vt cùm ea ex ſcripto recitari audirent, vel tum denique, mutatione vitæ, ipſum ſibi propicium redderent. Erat tum, vt dixi, in vinculis. Itaq; Baruch Neriæ filium virum bonum accerſiuit, quem iuſſit primùm in codice quæ dictaret ſcribere, deinde in templo, in quod ipſi non pateret aditus, indicto ieiunio recitare omni populo, iiſque omnibus qui ex Iuda religionis cauſa eò venirent, vt ſi crederent quæ recitarentur, atque ex eis viuerent, clementiore Deo vterentur. Ea cùm perfeciſſet, indictóque ieiunio, anno eiuſdem regis quinto, menſe nono, recitaſſet omnia, Michæas Gamariæ filius, primis regiæ illa omnia nunciauit. Illi autem Iudi Nathaniæ filium miſerunt, qui ei præciperet, vt codicem ad ſe adferret. Eò cùm veniſſet, ex ſcripto omnia dixit, & iuſſu eorũ, & tanta cum admiratione aut ſtupore potius, vt illa omnia regi ſe expoſituros dicerent. Primùm tamen rogarunt eum, quonam pacto illa omnia ſcripſiſſet. Cùm reſpõdiſſet, ſe, Hieremia ita dictante vt ſi legiſſet, excepiſſe omnia, & ſcripſiſſe atramento: tum admonueruut illum, vt ipſe & Hieremias ſe alicubi ita abderèt, vt nemo id ſciret, cõmiſſo Eliſamæ ſcribæ libro. Regis iuſſu prolatum librum Iudi legere cœperat, cùm

lectis tantùm tribus aut quatuor paginis, arreptum cultello primùm abſcidit, deinde in ignem coniecit, quo conſumptus eſt: neque ab eo, ne id faceret, Elnathan, Dalaias, & Gamarias impetrare potuerunt. Neque verò Ioacim hoc tam graui ſcelere contentus fuit, ſed etiam imperauit Ieremiel Amelech filio, & Saraiæ Ezriel filio, Selemiéque Abdeel filio, vt Baruch ſcribam, Hieremiámque prophetam comprehenderent: ſed Dei benignitate latuerunt, effugerúntque iram principis. Deus autem ita grauiter moleſtéque tulit codicis exuſtionem, vt iuſserit ſcribere Hieremiam, alterum eiuſdem ſentẽtiæ additis etiam permultis aliis, regíque ex ſe nunciare, non ſuperfuturum ex ipſius poſteris, qui præſit regia poteſtate, quinetiam proiectum iri eius cadauer, ſuppliciúmque ſumptum iri de illius poſterorúmque eius ac ſeruorum ſceleribus, eáque mala illis atque vrbi & populo euentura eſſe, quæ cùm prædicta eſſent, tamen neglexiſſent, ac pro nihilo putaſſent. Hieremias, ita vt mandatum à Deo acceperat, codicem alterum Baruch dedit. Hunc alterum num Baruch regi ipſi an populo legerit, an vtrique, & quid rex egerit aut cæteri, non eſt mandatum diuinis literis. Idem principio regni Ioacim Ioſiæ regis Iudæ filij, iuſſu Dei, capiendã Hieroſolymam

abducẽdóſque Iudæos Babylonem à Nabuchodonoſore rege prædixerat. Falſi autem prophetæ hoc futurum pernegabant, ob eámque cauſam illum in inuidiã & odium Ioacim regis, eóque capto & abducto, Sedechiæ adduxerunt. In his fuit Hananias Azur filius Gabaonita, qui anno quinto regni Sedechiæ, hoc Deum prædicere confirmabat in templo, in conſpectu ſacerdotum, totiúſque populi, ſe iugum regis Babylonis fregiſſe, atque intra biennium facturũ, vt vaſa templi quæ Nabuchodonoſor rex ablata in Babylonem tranſtuliſset, reportarentur, & Iechonias Ioacim filius rex Iudæ, cùm reliquis captiuis reduceretur. Hieremias qui aderat, falſam hanc Hananiæ vaticinationem ferre non potuit, ſed cùm principiò dixiſset, optare ſe eum rerum euentum quem prædiceret, deinde addidit, tum denique intelligi prophetã à Deo miſſum eſse, cùm id euenit, quod prædixerat. Hananias contrà permanens in ſententia, detracta de Hieremiæ ceruice catena, eáque fracta, Deũ hoc dicere palàm ac publicè aſseuerauit, ſic ſe fracturũ eſse iugum regis Babylonici poſt biennium. Hieremias qui illius pertinaciam diutius ferre non poſset, abierat, cùm Deus iuſsit illum redire, ac nunciare, non ſolùm id verum eſse ad ſeptuaginta annos, quod de captiuitate prædixiſ-

ſet, verùm etiã Hananiam illo ipſo anno, quòd contra Deum mentitus eſſet, eſſe moriturum. Id quod paulò pòſt accidit, id eſt, ſeptimo menſe, cùm quinto verba ſuperiora habita eſſent. Idem paulò ante illud tẽpus, id eſt, cùm Iechonias captus eſt, abductúſque in Babylonem, tertio menſe regni ſui, iuſsu Dei ad eos, qui eò cum rege abducti fuerant, miſit Hieroſolyma epiſtolam, qua primùm eos hortabatur, aut potius eis imperabat, vt ibi domos ædificarent, hortos & vites ſererent, acciperent & darent vxores, omniáque facerent, quæ ſolerent locorum incolæ: deinde eoſdem monebat, ne falſis prophetis, quos non miſiſſet, crederent: poſtremò prædicebat cùm ſeptuaginta annorum numerus expletus eſſet, fore, vt reducerentur: illi autem qui eò ex Iuda non migraſſẽt, ſicuti conſtituerat & iuſſerat, gladio, fame, peſtéque interirent. Et quoniã ex Iuda falſi duo vates Achab Coliæ, & Sedecias Maaſiæ filius, illis Dei nomine falſa prædicebant, ſcribebat eos in poteſtatem Nabuchodonoſoris eſſe venturos, ibíque in tantum omnium odium adductum iri, vt qui alicui malè & infœliciter euenire optaret, idem ei, quod illis duobus euenire vellet. Eadẽ ferè prædicebat euentura Semeiæ Nehelanutano, qui in Babylone falſa etiã prædicebat iis qui eò migrauerant.

grauerant. Hanc autem epiſtolam iuſsu Sedechiæ regis, Elaſa Saphan filius, & Gamarias Helchiæ filius pertulerunt. Quoto autem anno eius imperij, incertum eſt. Sedechias rex, cùm Hieroſolyma obſideretur, miſit bis ad eum, ſemel conſultum, Phaſſur Melchiæ filium, Sophoniámque ſacerdotem Maaſiæ filium, num Deus ſe ac ſuos admirabiliter eriperet: iterum Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniam ſacerdotem Maaſiæ filium, petitum, vt pro ſe ac ſuis Deum precaretur. Prioribus legatis præcepit, vt regi renunciarent, hoc Deum dicere, ſe arma belli, quibus cum rege Babylonis pugnarent, retuſurum, eáque collecturum in vrbem Hieroſolymam, ac cum eis bellum geſturum totis viribus, ac magno cum furore, ciuéſque omnes peſte confecturum eſſe: túmque regem Sedechiã, & ſeruos eius, omnéſque quib. peſtis, gladius, & fames peperciſſet, Nabuchodonoſoris regis libidini traditurũ, qui ſine miſericordia eos interficeret. Poſteriores autem, quòd aduentu exercitus Pharaonis audito, Chaldæi qui Hieroſolymam obſidebant, obſidionem ſoluerant, regi renunciare iuſsit, exercitum Pharaonis, qui veniſſet ipſi auxilio, rediturum in AEgyptum, ac tum Chaldæos reuerſuros, qui vrbem oppugnarent, caperent, & incenderent. Cùm autem

Chaldæorum exercitus, nuncio aduentus AEgyptiorũ accepto, diſceßiſſet, ipſe Hieroſolyma egreſſus in patriam certi negotij cauſa proficiſcebatur. In via incidit in præfectum quendam Ieriam, qui cùm illi fugam ad Chaldæos obieciſſet, ſeq́ue ipſe contrà ad Chaldæos fugere negaret, nec ille crederet: eum apud primos regni accuſauit, qui irati, cæſum illum in carcerem coniecerunt Ionathæ, vbi diu in ſqualore fuit. Eum inde poſtea eductum Sedechias rex in regiam ad ſe accerſiuit, clámque rogauit, num quæ prædixiſſet de captiuitate, accepiſſet à Deo. Cúmque Dei illa eſſe dixiſſet, eúmque venturum in regis Babylonij poteſtatem, illum ſupplex rogauit, ne ſe, qui nihil tale meritus eſſet, in carcerem Ionathæ moriturum remitteret. Rex eius precibus adductus illum in carcerem veſtibuli coniecit, dato negotio, vt ei aliquantum panis cum pulmento præberetur, quoad panis in vrbe conſumeretur. Nec verò eius hoſtes hoc illius ſupplicio contenti ſunt. Sapharias enim Mathan filius, Godolias Phaſſur filius, Iuchal Semeliæ filius, et Phaſſur Melchiæ filius, primi regiæ, cõcitati in eum, quòd audiuiſſent cùm palàm diceret, id quod paulò ante commemoraui, Qui in vrbe remaneret, eum gladio, peſte & fame interiturum: qui autem ad Chaldæos fugeret, ſal-

uum & incolumem futurum: ad regem adeuntes, eum rogarunt, vt interficeretur, vt hoſtis patriæ, præſertim cùm armatos, qui in vrbe remanſiſſent, ab ea defendenda, protegendáque deterreret, ſerendis eiuſmodi ſermonibus. Rex qui in tanta rerum perturbatione & trepidatione, tantóque diſcrimine, ſuorum in ſe animos retinere vellet, illum eſſe dixit in eorum poteſtate: neque enim fas eſſe ſibi quicquam eis negare. Illi arreptũ, in Melchiæ Amelech filij lacum cœni plenum, qui erat in carcere veſtibuli, proiecerũt funibus. Ibi haud diu fuit, Dei benignitate, qui exteri hominis cõmouit in eum miſericordiam. Erat in regia ſpado Abdemelech AEthiops, qui quòd vera eſſe, quæ Hieremias prædiceret, crederet, cùm primũ auditione accepit, id quod inimicorũ inuidia Hieremiæ accidiſſet: regi expoſuit, iniuria illud ab eis factum, vt ibi moreretur. Rex eius ſiue precibus, ſiue cõſilio & monitis adductus, illi negotium dedit, extrahendi Hieremiæ, & cõiiciendi in veſtibuli carcerem. Ex eo, nec ita multò pòſt, ipſum ad ſe rex acceſſiuit, iuſsítque ſibi planè ac bona fide, quiſnã eſſet rerum euentus exponere. Ipſe primùm vereri ſe dixit, ne ſi id quod res erat, narraſſet, ſe interficeret, nec cõſilium ſuum ſequeretur: deinde poteſtate liberè dicendi accepta, ſine mortis pericu-

lo, iuriſiurandi religione clàm interpoſita, expoſuit regi, ſi egrederetur ipſe ad regis Babylonij duces, ſaluum illũ fore, totámque eius familiã, neque incenſum iri vrbem: Si non proficiſceretur, & illum in hoſtium poteſtatem venturum eſſe, ſic, vt nunquam elapſurus eſſet ex eorũ manibus, neque eum ſolùm, verùm etiam vxores ac liberos, & vrbem deflagraturam. Itaque ſi ſibi ac ſuis conſultum vellet, verbis, non ſuis, ſed Dei, crederet. Cùm rex vereri ſe diceret, ne Iudæis qui iam ad Chaldæos trãsfugiſſent, ſi ſe dederet, traderetur, qui ipſum irriderent: etſi Hieremias confirmauit, non ita fore, ſed vt iam ipſe prædixerat, vt Dei vates, tamen ei fidem non habuit, ſed ab eo tantùm petiuit, aut ei imperauit, ne quis illa ipſa reſciret. Quòd ſi duces ac primi regni rogarẽt, quibus de rebus cũ eo verba feciſſet, diceret ſe ad ipſius pedes proieciſſe, ac rogaſſe, ne ſe in carcerẽ Ionathæ moriturũ remitteret. His cum mandatis eum rex in carcerẽ veſtibuli remiſit. Exeuntem principes interrogauerant, quoſnam cum ipſo ſermones, ac quibus de rebus rex habuiſſet: ſed cùm id quod à rege præſcriptum fuerat, expoſuiſſet, eorum ira deferbuit. Veruntamen in carcere atrij manſit ad eum diem, quo vrbs capta eſt. Quod quo tempore acciderit, vt reliqua Hieremiæ dicta &

facta intelligantur, exponendum eſt. Hieroſolyma quidem obſideri cœpta eſt à Nabuchodonoſore rege Babylonis, eiúſq; exercitu, anno nono Sedechiæ regis Iudæ, menſe decimo: anno autem vndecimo, mẽſe quarto, nono die capta eſt: eáque euenerunt Sedechiæ regi, quæ Hieremias Dei vates prædixerat. Cùm enim captã vrbem cognouiſset, ipſe clàm noctu cum armatis, per viam horti ſui, & per portam, quæ inter duos muros ſita erat, effugit: ſed exercitus Chaldæorum illum inſequutus, captum in campis Hierichontinis ad Nabuchodonoſorem adduxit Reblatha, quæ vrbs in regione Emath ſita eſt. Ibi cùm multis verbis cum illo egiſset, ei oculos effodit, atque in vincula coniecit, interfectis coram eo ipſius liberis. Duorum autem præcipuè Deus miſertus eſt, Hieremiæ, & Abdemelech AEthiopis, qui Sedechiam, vt Hieremiam ex lacu, quemadmodum dixi, eriperet, rogauerat. De Abdemelech primùm dicam: ante quã vrbs caperetur, Hieremiæ in carcere veſtibuli præcepit Deus, vt iret nũciatum Abdemelech AEthiopi, fore, vt omnia vrbi quæ prædixerat, euenirent, & tamen eum non venturum in poteſtatem eorum, quos metueret, ſed liberatũ iri, quòd in ipſo ſpem collocaſſet. Hieremiæ autem ſalus tantæ curæ fuit Deo, vt eius benignitate

Nabuchodonoſor rex Babylonis, Nabuzardan magiſtro militũ, captis Hieroſolymis, negotium dederit, vt eũ poteſtatis ſuæ eſſe pateretur, nulliſque malis afficeret, ſed ita tractaret & haberet, vt vellet. Itaque eum eductum ex carcere, Godoliæ Ahicam filio tradidit, vt liberè in publicum prodiret. Deinde cùm Babylonẽ reuerteretur, commemorato liberationis beneficio, optionem illi dedit, vel ſecum eundi in Babylonem, vel manendi vbicunque vellet in Iuda. Cúmque poſterius malle ſe dixiſſet, ſuppeditatis iis quæ ad victum pertinent, datíſq; muneribus, eum dimiſit. Ipſe autem ad Godoliam, quẽ vrbibus Iudæ Nabuchodonoſor præfecerat, profectus, cum eo in Maſphat, ad eum diem, quo ab Iſmaele Ammoniano interfectus eſt, habitauit, eo autem interfecto multíſque aliis ab Iſmaele, & Iſmaele ipſo à Ioanne Caree filio, cùm ij qui reliqui erant eum rogaſſent, vt Deum conſuleret, num ſibi in AEgyptum proficiſcendum eſſet, an ibi manẽdum, ſe enim facturos quicquid Deo videretur: decimo quidẽ demum die, conuocatis armatis omnibus, atque in his Ioãne Caree filio, eis expoſuit, Deũ eos ibi habitare velle, vbi eos liberaret à ſeruitute Nabuchodonoſoris quam timerent: quòd ſi in AEgyptũ migrarẽt, eos perſequuturum eſſe gladium, famem atque

peſtem. Itaque lõga oratione eos cohortatus eſt, vt ſibi conſulerent, iis perficiendis omnibus, quæ Deo viderentur. Illi autem negare eum à Deo miſſum eſſe, qui ipſos in AEgyptũ ſalutis cauſa vetaret proficiſci: ſed dicere vnum eſſe Baruch Neriæ filium, qui illum in ipſos concitaret, vt in poteſtatem Chaldæorum venirent. Perſtantes ergo in propoſito, neglecto præcepto Dei, qui eos Iudã, vt dixi, incolere volebat, in AEgyptum venientes, Hieremiam & Baruch ſecum proficiſci coegerunt. Cùm in Taphnis ventum eſſet, Dei iuſſu & afflatu prædixit aduentum Nabuchodonoſoris in AEgyptũ, quo eam caperet ac vaſtaret, deorúmque delubra incenderet. Iudæíque, qui eò contra Dei voluntatem ſe receperant, vel gladio, vel fame, interirent. Hac Hieremiæ, quæ longa eſt, vaticinatione concitatus populus, eum lapidibus, vt ait Epiphanius, obruit, ſepultúſque eſt in loco, quem Pharao incoluerat. AEgyptij enim eum honore affecerunt, cùm accepiſſent ab illo beneficia maxima. Nam eius precibus aſpides & crocodili, qui incolas necabant, deſierunt nocere. Quin etiam in tãta illum veneratione habuerũt Chriſtiani, vſque ad Epiphanij ætatem, vt in eo loco precarentur, ſumptóque ex ſepulchro puluere, & morſibus aſpidum mederentur, & crocodilos

ex flumine fugarẽt. Eum Calend. Maij Oſualdus Taphnis interfectũ eſſe memoriæ prodidit.

BARVCH PROPHETAE VITA.

BARVCH *propheta, Neria patre natus eſt. Is miniſter fuit Hieremiæ prophetæ, excipiendo, illo dictante iuſſu Dei, codice, quo Deus euentura mala iis qui ſe ad Nabuchodonoſorem regem Babylonis ex vrbe Hieroſolyma non contuliſſent, & bona iis qui ſe contuliſſent, denunciabat: & legendo in templo die ieiunij vniuerſo populo, qui Hieroſolymam ex vrbibus Iudæ conuenerant. Extat eius liber, quem non eundem eſſe, ex tempore ipſo, & loco, intelligi poteſt. Superior enim, anno Ioacim regis Iudæ quarto, exceptus eſt, & quinto, menſe nono, indicto ieiunio Hieroſolymæ in tẽplo lectus, iſque cùm ab Ioacim rege diſciſſus fuiſſet, atque in ignem cõiectus, iterũ iiſdem verbis atq; pluribus, iuſſu Dei, eodem Hieremia dictante, ab hoc ipſo Baruch exceptus eſt, aut certè ab Hieremia eidem datus. Is autem qui extat, ab hoc Baruch ſcriptus dicitur, & ab eodem Iechoniæ Ioacim filio regi Iudæ, omníque populo, qui in Babylonem abductus fuerat, ibi lectus eſſe. Ita*

ſit, vt hic poſterius ſcriptus ſit. De illo ſuperiore ſatis multa dicta ſunt à nobis in vita Hieremiæ prophetæ. Hic autem cùm legeretur, omnes flebant, ieiunabant, & precabantur Deum. Eo verò perlecto, collatum argentum, quãtum cuiuſque facultates ferebant, miſerunt Hieroſolymam ad eos, qui ibi remanſerant, emendis hoſtiis, eos rogantes, vt & offerrent pro peccatis omnium, & Deum precarentur, vt Nabuchodonoſori filióque eius Balthaſari omnia in vita proſperè euenire vellet, ipſisq; daret, vt apud Nabuchodonoſorem eiúſque filium, cum bona eorum gratia poſſent viuere: ac pro ſe rogarent Deum, cui peccaſſent, & cuius nondũ ira placata eſſet. Hortabantur etiam eos, vt librum quem miſiſſent, diebus feſtis in templo recitandum curarent. Reliqua oratio ferè in deteſtatione peccatorum, ac ſcelerũ quæ admiſiſſent, & malorum quibus iure oppreſſi eſſẽt, enumeratione conſumitur. Eſt etiam extremo libro Hieremiæ epiſtola, qua vt vates Dei prædicit captiuis Hieroſolymitanis, eos abductum iri in Babyloniam à Nabuchodonoſore rege Babyloniorum, eóſque hortatur, vt cùm ibi fuerint, ne deos quos viſuri eſſent, colerent, ſed Deum. Baruch autem tanta familiaritate & neceſſitudine cum Hieremia coniunctus erat, vt cùm capta vrbs

Hieroſolyma eſſet, abductique eſſent in Babyloniam & Sedechias rex, & optimates ac populus, præter eos qui ex diuerſis regionibus in Iudam reuerſi, ibi iuſſu Nabuchodonoſoris regis Godolia præfecto remanſerant, Godoliáque ipſo interempto, reliqui Hieremiam rogaſſent, vt Deum conſuleret, num in AEgyptum migrarent, atque is non illis migrandum Dei iuſſu dixiſſet, negarent hoc Deum vetare, ſed Baruch vnum eſſe, qui illum in ipſos concitaret. Quoniam verò non paruerũt Dei præcepto, in AEgyptum duces cum reliquis Hieremiam & Baruch duxerunt: ibíque, vt arbitror, mortuus & ſepultus eſt.

EZECHIELIS PROPHETAE VITA.

EZECHIEL *propheta, & ſacerdos, Buzi patrem habuit. Is eodem tẽpore vaticinatus eſt, quo Hieremias: ſed hoc intereſt, quòd Hieremias res futuras cœpit prædicere anno tertiodecimo Ioſiæ regis Iudæ, hic autem anno quinto poſt abductũ Ioachin, ſiue Iechoniam, in Babyloniam: & Hieremias vaticinationẽ, prophetiámque ſuam perduxit vſque ad vndecimum Sedechiæ annum,*

quo captus eſt, & eo paulò amplius: Ezechias autem vſque ad quartumdecimum, poſt expugnatam & captam vrbem, quem quintùm & vigeſimum poſt abductum ſe vocat. Quod quò faciliùs intelligatur, Ezechieliſque vita ſit notior, libet paulò altiùs temporum ac rerum ordinem repetere. Ioacim quidẽ Ioſia patre interfecto, qui præfuit regia poteſtate annis xxxi. & Ioachaz fratre, qui tantùm tribus mẽſibus imperauit, abducto in AEgyptum, rex Iudæ pro fratre à Nechaone rege AEgypti cõſtitutus eſt. Ioacim vndecimo imperij ſui anno moriẽs, Ioachin, qui etiam Iechonias appellatur, regni hæredem reliquit. Ioachin tertio mẽſe imperij ſui expugnata vrbe & direpto templo captus eſt, & abductus Babylonem cum matre, vxoribus & ſpadonibus, aliiſque permultis: in his Ezechiel. In Babylone autem vaticinari, vt ipſe ait, cœpit, anno quinto poſt captum & abductũ Ioachin in Babyloniam, id eſt, anno quinto Sedechiæ qui in eius locum ſuffectus eſt à Nabuchodonoſore rege. Sedechias autem vndecimo imperij ſui anno captus eſt, & coniectus in vincula. Ad hos annos vndecim Sedechiæ, quibus iam captiuus Ezechiel fuerat, ſi quatuordecim alios poſt captam Hieroſolymam, captúmq; Sedechiam, addamus, quinque & viginti annos

reperiemus, qui vigeſimus quintus annus eſt, eius migrationis, ad quem perduxit omnem vaticinationem ſuam. Igitur Ezechiel non in Iuda, ſed in Babylone vaticinatus eſt, prædixítque primùm captiuitatem alterā, quæ Sedechia rege, vt dixi, euenit, totius populi, ob ipſius ſcelera & vetera, & noua, quæ illi Deus ex Babylonia monſtrauit, eiúſque liberationem. Cùm vaticinandi initium feciſſet, vt dixi, quinto anno poſt captū, abductúmque in Babylonem Iechoniam, atque id quarto mēſe, quinto die, anno pòſt, id eſt, ſexto, quinto ſexti menſis die oſtenſus eſt ei Deus, qui iuſſit illum oculorum aciem in viam, quæ ad Aquilonem pertinebat, intendere: quod cùm feciſſet, aſpexit ſimulachrum ad portam altaris in ipſo templi Hieroſolymitani introitu: quod oppidani colebant, vt hoc ſcelere ſuo Deum inde expellerēt. Hoc magnum fuit ſcelus, ſed alterum grauius ei oſtendit. Eum introduxit in atrium templi, iuſſitque fodere & diruere parietem, quo diruto, apparuit oſtium vnum, per quod cùm ingreſſus eſſet iuſſu eius, vidit in pariete vndique depicta omnium beſtiarū ſimulachra, & Iezoniam ſacerdotem Saphan filium ſtantem in medio ſeptuaginta ſenum, qui thuribula manibus tenebant, iámque fumus odorum incenſorum egrediebatur. Gra-

uiora etiam his ei flagitia mõſtrauit. Introduxit eum in templũ per oſtium portæ, quod ad Aquilonem ſpectabat. Ibi aſpexit mulieres, quæ lugebant Adonin. His quoque grauiora illi poſtea oſtẽdit. Eum introduxit in interius tẽpli atrium. Inde in oſtio templi inter veſtibulum & altare vidit viros ad vigintiquinque, qui poſt templum intuentes orientem, ad ortum ſolis venerabantur, & vt noſtri dicunt, adorabant. Quæ cùm oſtendiſſet omnia, ei patefecit illorum futurum interitum. Dixit enim, quòd illi ea omnia perfeciſsent, vt ipſum concitarent, fore etiã, vt ipſe furore & ira incitatus, parceret nemini, neque miſericordia cõmoueretur, & cùm ſe precarentur voce maxima, minimè eos audiret. Eodem anno paulò pòſt, ſpiritus Dei elatũ eundem, introduxit ad portam orientalem templi: In introitu portæ vigintiquinque viri erant, atque in medio eorum Iezonias Aſur filius, & Pheltias Baraiæ filius, principes ac duces populi, ſiue Tribuni plebis: eíque dixit ſpiritus, illos eſſe, qui in illa vrbe, ſcelera mente tractarent, inirẽtque ſceleſtum cõſilium, quòd iampridem ædificatum eſſe templum dicerent, hanc lebetem eſse, ſe autem carnes. Itaque de illis vaticinari eum iuſsit. Is verò illis iuſſus eſt hæc prædicere: Quoniam plurimos occidiſsẽt in illa vrbe, ſtra-

uiſséntque eius vias cadaueribus: eorũ quos interfeciſſent cadauera eſſe carnes, & lebetem: fore autem, vt ex ipſa vrbe educerẽtur, & gladius, quem metuiſſent, in eos incurreret, eiicerentúrque ex vrbe, & in manum hoſtium venirent. Hæc autem omnia illis euẽtura eſſe, quòd Dei præceptis non obtemperaſſent, ſed Gẽtium inſtituta vitámque imitati eſsẽt. Quæ cùm vaticinaretur Ezechiel, Pheltias Banaiæ filius, quem paulò antè dixi, mortuus eſt, cuius morte ita exanimatus eſt, vt reliquorum mortem ſubitò ſequuturam exiſtimaret. Sed Deus lugentem, & clamantem, conſolatus eſt, promiſſa eorum, quos procul diſperſerat, renouatione, cùm facturus eſſet, vt præcepta ſua obſeruarent, eſséntque ſibi populus, illis verò ipſe Deus. Hæc cùm illi Deus prædicenda commiſiſſet, ab eodem ſpiritu in Chaldæam reportatus eſt, ſociiſque captiuis omnia narrauit, quæ ipſi Deus oſtenderat. Anno autem ſeptimo, menſe quinto, die decimo, venerant conſultum Deum viri quidam ex ſenibus, iámque coram Ezechiele ſederant, cùm illum Deus hæc eis iuſsit dicere, Deum, qui illos ſe conſultum veniſſe optimè ſciret, non eſſe eis reſponſurum. Quòd ſi eos iudicaret Ezechiel, primùm maiorum ſuorum eis ſcelera & impia facinora, principio ducto ab Ægyptiaca ſeruitu-

tis liberatione, deinde ſua ipſorũ narraret. Anno ſuperiore conſultum etiam venerant Deum viri quidam ex ſenibus, quibus in Ezechielis conſpectu ſedentibus, Deus iuſsit eum illis dicere, quòd, vt ei patefecit, de ſimulachris ſuis cogitarent, ipſum quotieſcunque venirent ſe conſultum per prophetam de illis cogitantes, aut alij tales, eis eſſe reſponſurum, non per prophetam, ídque pro ſcelerum ſuorũ multitudine. Ob eámque cauſam, hoc illum Iſraeli denunciare iuſsit, cùm præcepiſſet eis, vt redirent in viam, ſeq́ue à deorum cultu abſtraherẽt, & à flagitiis omnibus, Si quis Iſraelita ciuis aut peregrinus, abalienatus à Deo, peregrinorũ deorum religionem approbaret, veniretque cõſultum Deũ per prophetam, Deum ipſum ei per ſe reſponſum redditurum eſſe, facturúmq; vt homo ille ſit exemplo cæteris, ac tandem perditurum. Atque hæc priuatim nonnullis iuſſus eſt Ezechiel dicere, quæ ad omnes pertinerent. Multa autẽ alia & omnibus Iudæis publicè, iuſſu Dei, in vtrãque partem prædixit, & AEgypti, aliorúmque imperiorum euerſiones, ſine legatione. Tam verò conſtans fuit & fortis in hoc munere, vt tandem dux populi, quòd ab eo ob ſimulachrorum cultum obiurgaretur, in Babylone interfecerit, quemadmodum ſcribit Epiphanius. In agro au-

tem Saur ſepultus eſt in ſepulchro Sem & Arphaxad maiorum ſuorum : quò maximum concurſum factum fuiſſe populorum, idem Epiphanius ſcribit, precationis officiique gratia. Interfectus eſt autem iiij. Idus Aprilis, vt Oſualdus ſcribit.

DANIELIS PROPHETAE VITA.

DANIEL *ex tribu Iudaïna in vico Bethebero ſuperiore, non procul Hieroſolymis, vt ait Epiphanius, natus eſt. Is puer cùm etiã eſſet, Ioacim rege, anno imperij eius tertio, Babylonem cum aliis abductus eſt: ſed primum locum obtinuit eorum, qui plurimum apud Nabuchodonoſorem, eiúſque hæredes reges, gratia valuerunt, cùm ob continentiæ pulchritudiniſque laudem, tum diuinationis quæ in ſomniorũ interpretatione poſita eſt, cauſa & nomine. Nabuchodonoſor enim, cùm multi eleganti forma, honeſtáque facie pueri abducti eſſent Babylonem, Aſphenez præfecto ſpadonum imperauerat, vt pueros Iſraelis, qui genus à regibus & tyrannis ducerent, egregia forma, eruditos omni doctrina, omnibúſque diſciplinis & artibus, in palatiũ introduceret, vt ibi literis*

Chaldaicis,

Chaldaicis, & ſermone inſtituerẽtur tribus annis, quibus exactis in conſpectu ipſius præſto eſſent. In his Daniel fuit, cui præfectus Balthaſaris nomen dedit. Rex autẽ annonam ei atque ſodalibus ex iis quæ capiebat, conſtituerat: ſed Daniel ſibi induxerat in animum, ſe non inquinare ſacris eſcis. Itaque præfectum ſpadonum rogauit, vt hoc ſibi per ipſius humanitatem liceret. Hoc ille primùm non conceſſit, quòd ſe regem dominum ſuum metuere diceret, qui cùm eadem eſculenta & poculenta illi ac ſociis, quibus vteretur, conſtituiſſet, ſi eos minus plenos animaduertiſſet, quàm æquales ipſorum, iure in ipſum animaduerteret. Deinde Daniel in propoſito ſuſceptóque conſilio permanẽs, facilè perſuaſit Malaſari, quem præfectus ſpadonum ei ac tribus aliis præpoſuerat, vt decẽ diebus, quibus leguminibus tantùm veſcerẽtur, & aquam biberent, contẽplaretur os ſuum, num macilentior ipſe aliis qui præſcripto victu vterẽtur, euaderet. Decimo demum die, re obſeruata, & tentata, os Danielis triúmque eius ſociorũ multò plenius, quàm aliorum, cum ſumma Malaſaris admiratione apparuit, cùm tantùm eis legumina & aquam præbuiſſet. Danieli autem præter ſcientiam diſciplinámque omnium librorum ac ſapientiæ, quæ communis ei fuit cum tri-

bus ſociis, Anania, Azaria & Miſaele, dedit Deus interpretationis omnium ſomniorũ ſcientiam: qua duce plurimum, vt dixi, apud Nabuchodonoſorem, eiúſque hæredes, gratia valuit. Nam cùm in palatium introductus eſſet, ſecundóque imperij ſui anno rex ſomnium vidiſſet, quod nemo diuinus aut ſomniorũ interpres adhibitus interpretari potuiſſet, ſed Daniel ſolus, maximo in honore cœpit eſſe. Atque hoc quale fuerit, & qua occaſione Daniel conſultus fuerit, non alienum erit exponere. Secundo, vt dixi, imperij ſui anno, ſomnium rex vidit, quo vehementer perterritus fuit, ſed poſteà nũquam ei in mẽtem elapſum venire potuit. Itaque conuocatis magis diuiníſque omnibus regni, iubebat eos ſomnium, quod effugiſſet, primùm narrare, deinde interpretari. Illi regem rogabant, vt ſomnium ipſe exponeret, quod interpretarentur: cùm rex vrgere cœpit eos, conditione propoſita, niſi narrarent ſomnium, & interpretarentur, fore vt & ipſi perirent, & domus eorum publicarentur: ſi narrarent, & interpretarẽtur, præmia, munera, magnóſque honores acciperent. Iterum ſiue admonuerant regem, ſiue rogauerant, vt ſomnium ſuum ipſe narraret, ac tum denique illud interpretarentur: quod enim peteret, neminem hominem eſſe, qui poſſet efficere:

ſed ſolos Deos, qui cum hominibus non verſarentur: cùm rex ira & furore incitatus, lata ſententia præcepit Ariocho magiſtro militum, vt diuini & coniectores occiderentur. Iámque interficiebantur, quærebatúrque Daniel ad mortem cum ſociis, cùm ipſe, re tam crudeli comperta, adiens ad regem, eum, vt ſibi tempus daret ad rem quam quæreret, rogauit. Cõſtituto tempore, domum ſuam ingreſſus eſt, réque ſociis tribus expoſita, ipſe Deum rogauit in commune cum eis, vt ſibi ac illis myſterium enunciaret, ne cum Chaldæis interirent. Audiuit eos Deus, rémque Danieli noctu patefecit: qui nõ immemor tãti beneficij, ei gratias egit his verbis: Aeterna laus tribuatur nomini Dei, propterea quòd eius ſunt & ſapientia & fortitudo: mutat tempora & ætates, transfertque regna & conſtituit: dat ſapientiam ſapientibus, ſcientiámque intelligentibus diſciplinam: idem enunciat myſteria, & quæ abſtruſa ſunt, nouítque ea, quibus tenebræ offuſæ ſunt, & cum eo lux verſatur. Tibi Deus maiorum meorum laudem tribuo, gratiáſque ago, quòd mihi ſapientiã & fortitudinem dediſti, mihíque indicaſti ea, quæ à te petiuimus, cùm ſomnium regis nobis enunciaueris. Actis Deo gratiis, cõtulit ſe ad Ariochum, cui rex vt coniectores interficeret, impe-

rauerat. Eum rogat, ne Magos perdat, ſed ſe ad Regem introducat, cui ſomnium ſuū & narraret, & interpretaretur. Is ad regem illum introducit, eique nūciat, adeſſe illū, qui ipſi ſomnium explicaret. Cúmque rex ab eo quæreret, nū poſſet ſibi ſomnium interpretari: tum Daniel, Magos & coniectores poſſe myſterium, quod ſciſcitaretur, enunciare, negat: profitetúrque eſſe Deum in cœlo, qui enunciaret myſteria, & illi res futuras vltimis tēporibus, aperiret. Somniū autem quod vidiſſet, eſſe tale. Eum viſum eſſe videre ſtatuam vnam ingentem, quæ horribili aſpectu ante ipſum ſtaret. Eius caput aureum fuiſſe, pectus & brachia argentea, aluum & femora ænea, tibias ferreas: pedum partem ferream, partem fictilem. Eam ipſum ſpectaſſe, quoad lapis abſciſus eſt de monte ſine cuiuſquam manibus & opera, qui ſtatuæ pedes obtriuiſſet: quibus obtritis, pariter reliquum corpus deiectum comminutúmque ſit. Lapidem autē, qui ſtatuam fregerat, verſum eſſe in mōtem altiſsimum. Propoſiti autem narratíque ita ſomnij hanc eſſe interpretationem. Eum qui regibus cæteris præſtaret, & cuius ditioni Deus cœli omnia ſubieciſſet, caput eſſe illud aureum: regem alterum, qui poſtea illo inferior eſſet exoriturus, eſſe pectus & brachia argentea: aluum

& femora, tertium regem qui vniuerſo orbi imperaturus eſſet: quartum regem, qui, ferri inſtar, domaret ſubiugarétque omnia, tibias ferreas: pedum diuerſitatem ex materia, ſignificare imperiū, quod poſtea diuideretur: admixtionem porrò materiæ ſignificare, fore vt miſceantur inter ſe, nō tamen cohæreant: lapidem illum qui omnia viſus eſſet obterere, eſſe Regē, quem illis temporibus Deus cœli excitaturus ſit, qui nec diſsipandus eſſet, nec ex regno expellendus, vt alteri traderetur: ſed regem illum, ſempiternum perpetuúmque imperium obtenturum eſſe, victurúmque omnia. Rex qui ita ſomniū ſuum vt viderat, narratum, & verè explicatum intelligeret ac ſciret, cùm proieciſſet ſe pronum ad pedes Danielis, eúmque veneratus eſſet, eique vt hoſtiæ cum thure immolarētur, imperauiſſet: ipſe Deum Danielis Deum deorum eſſe profeſſus eſt, dominúmque regum, qui myſteria enunciaret. Hinc eum ornatū & donatum magnis multiſque donis ac muneribus, cūctis prouinciis Babylonis præpoſuit, omnibúſque diuinis & cōiectoribus: eiúſque rogatu ſociis illius trib. adminiſtrandam Babylonem tradidit. Idem rex ſomnium vidit poſtea, quo æquè exterritus, ac ſuperiore, cùm fuiſſet, tamen formā & rationem eius memoriā tenuit. Itaque conuocatis ex tota

Babylone ad ſe magis & coniectoribus, non, vt antea, formam illius ab eis requiſiuit, ſed cùm illud eis narraſſet, eius tantùm interpretationẽ. Somnium autẽ fuit tale. Videbatur videre arborem excelſiſsimam, cuius & cacumen cœlum pertingebat, & folia pulcherrima erãt, & fructus vberrimi, ex quibus viuebant omnia: ſubter eam habitabant animalia, & in ramis eius aues inſidebãt. Viſus eſt etiam, eodem ferè puncto temporis, videre vigilem quendam & ſanctum virum, qui è cœlo delapſus, magna voce præcepiſset, vt arbor illa præcideretur cum frõdibus, foliáque excuterentur, & fructus diſpergeretur, auibus ex frondibus fugatis, & beſtiis quæ ſubter eam habitabant, ita tamen, vt radicum arboris germen in terra remaneret, quod vinculo ferreo & æneo in herbis deligaretur, aëriſque rore aſpergeretur, ac ferarum inſtar herbam depaſceret, hominiſque habitus ac ſenſus eius in pecuinum verteretur ad ſeptennium. Hoc cenſuiſse vigiles dicebat, hoc ſanctos poſtulaſse, vt mortales intelligerent eſse excelſum Deum, qui hominibus in regnis imperaret, eáque daret, cuicunque vellet. Somnium hoc cùm cæteri auditum interpretari non poſsent, tãdem ventum eſt ad Danielem, quem, vt paulò antè dixi, magis coniectoribúſque præpoſuerat. Is

rogatus ſentẽtiam, primùm tacitus per ſe rei interpretationem cœpit cogitare attentiùs, atque id cum magna animi conturbatione, propter rei, quæ ſignificabatur, euentum. Deinde cùm id rex animaduertiſſet (apparebant enim in eo non obſcura ſigna cõſternationis) interpretationémque ſomnij eum ſoluto liberóque animo proferre iuſsiſſet: tum ipſe precatus clara voce, vt ſomnij interpretatio illius hoſtibus eueniret, ita ſomniũ illud interpretatus eſt, vt diceret, arborem illam excelſam, regem ipſum eſſe, qui ita magnus eſſet ac potens, vt magnitudo eius ad cœlum pertineret, & ad fines orbis potentia: eum autem, qui talis ac tantus eſſet, tempore quod conſtituiſſet Deus, expulſum iri ex regno, atque ex hominũ ſocietate, ac cum feris beſtiis verſaturum, fœnúmque bouis inſtar comeſturum, ac rore perfuſum iri in agris ſeptennium, dum intelligeret excelſum eſſe Deum, qui regnum hominum adminiſtret, détque illud cuicũque velit. Regnum tamen nõ omnino illi ereptum iri, ſed redditum, cùm Dei agnouiſſet potentiam. Hinc prudens ac vtile conſilium regi dedit, quod ſi ſequeretur, mala illa quæ ſibi euentura ex his intelligeret, vitaret. Suaſit enim, vt egentibus ſubueniens peccata ſua redimeret. Deum enim fortaſſe peccatis eius propitium futurum. Hæc autem Na-

buchodonoſori euenerunt omnia, duodecimo menſe pòſt, cùm Babylonem à ſe vno ædificatam eſſe iactaret, ſeptennióq; expleto, & ſenſus ei redditus eſt, & regnum reſtitutum, maiórque gloria & dignitas, quàm ſuperior fuiſſet. Neque verò tum ingratus fuit, ſed multis præclaríſque verbis gratias egit Deo, eiúſque potentiam ſe agnoſcere profeſſus eſt: nec puduit eum Epiſtolam ſcribere cunctis gentibus, qua & ſomnium illud ſuum narrat, & illius à Daniele ſolo datam interpretationem, & ſomnij ita, vt dixi, explicati euentum, & ad extremum, regni reſtitutionem. Quæ quidem omnia cùm omnibus ob oculos verſari debent, tum vel maximè regibus, magníſque & potentia claris viris, ne ſibi tribuant quæ Deo tribuere debẽt. Mortuo Nabuchodonoſore, Balſaſar eius filius illi ſucceßit in regnum. Is magnificũ conuiuiũ dabat primis regni ſui mille, in quo, vt quiſque ætate antecedebat, ita bibebat: vinolentúſque iam & ebrius iuſſerat pocula aurea & argentea, quæ Nabuchodonoſor pater eius ex templo Hieroſolymitano aſportãda curauerat, proferri, vt in eis biberent cõuiuæ omnes. Bibebat ille iam, bibénſque inter pocula deos ſuos aureos, argenteos, æneos, atque ex alia materia factos, laudabat, cùm ecce ſubitò conſpicatur digitos hominis ſi-

miles, qui ſcribebant in pariete è regione candelabri in ipſo regio palatio. Eius rei tam inuſitatæ, ac nouæ, ſpectaculo rex perterritus, Magos & aruſpices introduci, quamprimùm cum clamore iubet: adhibiti, nec legere quod ſcriptum erat, potuerunt, nec interpretari, propoſito à rege eiuſmodi præmio, vt is qui legiſſet atque interpretatus eſſet, purpura indueretur, torquem aureum in collo geſtaret, tertiúmque locũ in regno obtineret. Hinc non modò rex maiorẽ animo dolorem cepit, verùm etiam principes: neque is dolor ac mœror mitigatus, aut depoſitus fuiſſet, niſi Regina Regem, vt bono lætóque animo eſſet, admonuiſſet, cùm dixiſſet eũ habere Danielem, quẽ pater illius Nabuchodonoſor, quòd excelleret laude diuinãdi, omnibus Magis præpoſuiſſet, cùm in maiore negotio eius præſtãtem artem expertus fuiſſet. Cùm ille iuſſu regis introductus eſſet, primùm ei rex narrauit, id quod ſcriptum videret, à Magis nec legi potuiſſe, nec explanari: deinde commemorauit quæ de artis illius laude & gloria in eiuſmodi rebus accepiſſet. Quæ ſi vera eſſent, legeréque illa quæ cerneret, ac interpretari poſſet, idem præmiũ eum eſſe conſequuturum, quod Magis propoſitũ eſſe dixi. Daniel, munera ſibi rex ſumeret reſpõdit, aut alteri daret: Nullo enim præmio inuitatum

ſe, id quod ſcriptura obſcurè ſignificaret, interpretaturum. Itaque, re altiùs vſque à Nabuchodonoſore rege eius patre repetita, narrauit, quẽadmodũ ille à Deo regnum, gloriam, & potentiam tantam accepiſſet, vt ex eo omnes illũ metuerent, ipſeq́ue & eueheret, quem vellet, & affligeret: ſed eum, quòd ſibi illa omnia, nõ Deo, tribuiſset, nutu Dei expulſum fuiſſe ex regno, & eiectum ex hominum ſocietate, ac verſatum figura feræ cum belluis, dum potentiam maieſtatémque Dei agnouiſſet. Ipſum quoque illius filium, qui hæc ſciret omnia, quòd non abieciſset animum ſuum, ſed in Deum cœli moderatorem ac dominum ſpiritus ſuſtuliſſet, in poculis eius aureis & argenteis bibens, laudánſque deos aureos & argenteos, qui non vident, nec audiũt, nec ſentiunt, ſpreto contemptóque Deo, cuius in poteſtate illius eſſent omnia, ſtatus, vita, imperium: Deum ipſum miſiſſe, qui illa ſcriberet. Eorum autem trium verborum quæ ſcripta erãt, hanc eſse ſententiã, Deum numeraſſe regni eius annos, & illum ab eo quaſi in lance appenſum eſſe: diuiſumq́ue eſſe eius regnum, & datũ Medis atque Perſis. Etſi autem hæc Danielis vera interpretatio exitioſa regi erat, tamẽ mercedẽm eodem pũcto temporis ei dedit. Ea verò ipſa nocte interfectus eſt, & Darius Medus regnum

occupauit. Hic Darius præfecerat regno ſuo centum viginti, atque illis tres, in his Danielē, quibus geſti negotij rationem referrent, quò liberius in otio viueret. Tanta autem regis fuit de Danielis prudentia opinio, præ cæteris præfectis omnibus, vt eum ſolum toti regno præficere conſtitueret. Quod cùm illi intelligerent, moleſtè acerbéque ferentes, ſe de gradu deiici, diligenter in eum inquirere cœperunt. De eius fide in munere, quod dixi, fungēdo, cùm nihil obiicere poſſent, nec tamen inuidia eorum conquieſceret, communicato conſilio ſtatuerunt, eum apud regem, ob religionem, qua Deum ſuum colebat, in odium adducere. Itaque ad regem adeuntes, ei perſuaſerunt, vt edictum faceret immutabile, ſi quis ad triginta dies aliquid à Deo vel homine, niſi ab eo, peteret, in lacum leonum coniiceretur. Edictum à Dario factum eſt, confirmatum & ſcriptum illorum rogatu, nec tamen Daniel propterea deſtiterat precari, venerarique Deum ſupplex tribus temporibus quotidie, ídque faciebat apertis feneſtris. Quod cùm illi diligentiùs obſeruantes comperiſſent, tēpus exatiandæ inuidiæ ſe nactos eſſe rati, ad regem redeunt: ei edictum ſuum redigūt in memoriam: cuius cùm illum memorem vidiſſent, & ſupplicij, quod in violatorem conſtituiſſet, tum deni-

que Danielem illud violaſſe Dei ſui veneratione probauerunt. Rex, qui Danielem plurimi, vt dixi, faceret, ex eo nuncio maximum animo dolorem cepit primùm, deinde omni ratione ad ſolis occaſum contendit, vt eum à conſtituta pœna liberaret, ſed illis morem Medorum atque Perſarum, vt omne regis decretũ immutari non poſſit, proferẽtibus, nihil profecit. Itaque iuſſu eius productum, in lacum leonum coniecerunt. Rex autem eum Deo ſuo commendauit, à quo liberatum iri ſperaret, ac ne quid iniuriæ illi fieret, ſaxum quod annulo ſuo, annuliſque primorum regni obſignauit, ori lacus appoſuit. Támque grauiter tulit tã fidelis ſerui caſum, vt in regiam reuerſus, nec cibum ceperit, nec, cùm præ mœrore incœnatus cubitum iuiſſet, dormire potuerit. Prima luce ſurgens à lecto, properè ad locum ſe contulit, Danieléque nomine ſuo appellato, quærere cœpit, num eum Deus ſuus liberare potuiſſet. Daniel ex lacu ſaluus & incolumis reſpondit, Deum ſuum miſiſſe angelum, qui ora leonum ita obſtruxiſſet, vt nihil ipſi nocuiſsent, quòd virtuti conſentaneas actiones in ipſo inueniſſet: quin ne ei quidem ſe vnquam peccaſſe dixit. Darius Danielis ſalute vehementer gauiſus, eum educi iuſsit, in quo nihil mali, nullúmque vulnus inuentum eſt, cum ſumma & regis

& omnium admiratione. Accuſatores autem eius, eorúmque liberi & vxores, iuſſu regis, cùm in lacum eſſent coniecti, ſupplicij cauſa, puncto temporis deuorati, cõſumptíque ſunt à leonibus. Hoc tam admirabili euentu adductus rex Darius, Epiſtolam ſcripſit cunctis nationibus, qua ſignificauit, ſe edictum feciſſe, vt omnes ſui metuerent & vererentur Danielis Deum, quippe qui Deus vnus & æternus eſset, cuius & regnum nunquam diſsiparetur, & poteſtas eſset ſempiterna: qui ſalutem daret, miráque opera & cœlo & terra ederet, Daniélémque à leonibus liberaſset. Narrabo etiam hoc loco alterum eiuſdem generis euentum, nõ minus mirabilem. Aſtyage rege mortuo, Cyrus Perſa regnum eius occupauerat, cui Daniele nemo erat familiarior, nemo charior, nemo denique apud illum in maiore honore erat & precio. Is ſimulachrum Babyloniorum, Belem nomine, cui quotidie ſimilæ artabæ duodecim, id eſt, ſextarij ſeptuaginta duo, oues quadraginta, vinique amphoræ ſex, quaſi ea omnia caperet ac deuoraret, dabantur, quotidie colebat: Daniel autem, Deum. Quod cùm rex animaduertiſset, quærere ex eo cœpit, quid ita Belem non veneraretur. Reſponderat ipſe, non ſimulachra manu & opere hominum facta venerari, ſed Deum viuum, qui cœlum

terrámque cōdidiſſet: cùm rex rurſus ab eo quærere cœpit, an non illi Bel viuus videretur, quem tam multa comedere & bibere animaduerteret. Ad hæc ſubridens idem, regem monuerat, ne in errore diutius verſaretur, credens viuere & comedere, qui intrinſecus luteus, extrinſecus æneꝰ eſset, cùm ira incitatus Cyrus, accerſiuit ſacerdotes Belis ſeptuaginta, quibus mortē minatus eſt, niſi indicarent, quiſnam illa, quæ Beli quotidie apponerentur, comederet ac biberet: ſin docerēt Belem eſse, moriendum eſse dixit Danieli, qui dixiſset in Belem. Daniel conditionem accipit: venit in templum cum rege: ſacerdotes, accepta etiam conditione, admonent regem, quò res eſſet teſtatior, vt ipſe eſculenta & poculenta apponat, fores occludat, obſignétque annulo ſuo, ac poſtridie ingrediatur, atque rem experiatur, vt obſeruata compertáque veritate, vel ipſi interficerentur, vel Daniel. Erat autem menſa in templo, in qua illa omnia apponebantur, & ſubter eam cuniculos quoſdam fecerant ſacerdotes, per quos ingreſſi noctu cum liberis & vxoribus deuorarūt omnia, vt ſoliti erāt. Quod cùm Daniel reſciuiſset, antè quàm fores occluderentur, per pueros allatum cinerem coram rege ſparſit, vt eorum fraus deprehenderetur. Prima autem luce, regem in templum, veri comperiendi cau-

ſa, euntem ſequitur: Rex, qui fraudis ſacerdotum ignarus eſſet, aperto oſtio, cùm ex eo menſam inanem aſpexiſſet, exclamat, Magnum Deum eſſe Belem, atque eum fraude & dolo carere. Daniel, qui illorum fraudem, vt dixi, cognitam haberet, ſubridens, introire volentem regem arcet, monétque vt animaduertat, cuius veſtigia ſint quæ in cinere impreſſa cernat. Cyrus virorum, mulierum, ac puerorum, illa eſſe reſpondet, acciti ſacerdotes cum mulieribus & pueris iuſſu regis, qui præ iracundia vix cõtinebat manus, introitus per quos ingreſſi noctu, eſculenta & poculenta ſumere ſoliti erant, oſtendunt, ac tum denique ex regis cõditione, quam, vt docui, acceperant, morte mulctãtur. Daniel traditum ſibi Belem eiúſque templum diruit. Erat ibidem draco miræ magnitudinis, quem Babylonij colebant. Cyrus autem, quòd is viueret ac coleretur pro Deo, cauſam ſe inueniſſe exiſtimabat, cur Daniel illum neceſſariò venerari deberet, quaſi verò hoc ipſo tantùm Belem colere velle ſe negaret, quòd non viueret. Itaque eum cõueniens, obiecit, nihil illũ habere iam, quin dracon̄, qui viueret, veneraretur. Ipſe reſpõdit, ſe Deũ ſuũ, qui viuus eſſet, colere: dracon̄ autem non eſſe Deum, quem ipſe, qui homo eſſet, ſi daretur poteſtas, ſine gladio interficere poſſet. Data à rege

poteſtate, picem, adipem & pilos vnà coxit, & in os draconis ingeſsit, quibus ſtatim diruptus eſt: túmque ridens Babyloniis dixit, illum eſſe deum, quem colerent. Babylonij hac re adacti penè ad inſaniã, vniuerſi clamare, Iudæum regẽ factum eſſe, qui Belem diruiſset, draconem interfeciſset, ac morte mulctaſset ſacerdotes. His verbis inter ſe alij alios concitantes, adeunt ad regẽ, cui, rei atrocitate expoſita, minantur, niſi Danielem ſibi traderet, & mortem, & familiæ exitium. Minis illorum coactus rex, Danielem dedit eorum libidini, quem in lacum leonum coniiciunt. Sex ibi diebus fuit, quibus nihil leonibus ſeptem præbuerunt, quò ab eis auidius deuoraretur, cùm anteà ſemper quotidie duo cadauera, duæque oues darentur. Erat tũ Abacuc propheta in Iudæa, qui coctam pultem intritúmque panem rus ad meſſores ferebat, ei ſe angelus Dei oſtendens, præceperat, vt prãdium quod haberet, Babylonem portaret ad Danielẽ, qui in fouea leonum eſſet: cùm ille nec Babylonem ſe vidiſſe dixit, nec foueam ſcire. Angelus autem apprehenſo eius capillo, Babylonem tranſportatum, ad lacum poſuit. Inde Abaçuc Danielem nomine appellat, admonétque, vt prandium, quod ad eum Deus miſiſset, ſumat. Daniel pro tãto Dei in ſe beneficio actis gratiis, comedit.

comedit. Septimo die, rex ad foueam lugendi Danielis cauſa venit, quem cùm ſaluum & incolumem ibi ſedentem inter leones aſpexiſſet, magna voce clamauit, Magnus es Domine Deus Danielis. Eo autem extracto & educto, eos omnes, qui exitij eius auctores fuerant, coniecit in foueam, iíque ſubitò deuorati ſunt à leonibus. His duobus præclaris facinoribus ſibi ac vitæ ſuæ benignitate Dei conſuluit, Dei veri ac viui defendens cultum atque religionẽ: eo quod ſequitur, proximum ſuum ab iniuſta morte liberauit. Habitabat vir quidam Babylone, Ioacim nomine, acceperátque vxorem, cui nomen Suſannæ erat, Helciæ filiam, honeſta facie mulierem, & quod pluris faciendum eſt, verentem Deum ac colẽtem. Parentes enim eius cùm iuſti boníque eſſent, lege Moſis eam inſtituerant. In eius virtutibus prima & maxima erat caſtimonia, quæ raròcum pulchritudine corporis cõiuncta reperitur, nec vnquam adduci potuit obiecto dedecore, aut morte conſtituta ex lege, vt ſibi ſtuprũ pateretur afferri. Nam cùm vir eius locuples eſſet, habεrétque pomarium proximum ædibus, in quod, abluẽdi corporis cauſa, illa ſæpè remotis arbitris ſecedere ſolebat, ſenéſque duo, qui Iudices creati erãt, domum Ioacim plerunque venientes, eam ſemper in horto obſeruaſſẽt,

tandémque aliquando, explendæ libidinis tẽpus nacti, vt ſibi videbantur, ad eam ſolam ſoli acceßiſſẽt, ac multis primùm illecebris pudicitiam eius tentaſſent, deinde, conſuetudinem ſtupri penitus denegantem, eò perducere ſe poſſe exiſtimarent, ſi ſtupri cum adoleſcentibus conſuetudinem ei ſe obiecturos minarentur, quod ex lege crimen capitis erat: illa in ſemel ſuſcepto propoſitóque ſeruandæ pudicitiæ conſilio permanſit. Siquidem in eo diſcrimine poſita, vt vel Deo peccaret, amiſſa pudicitia, ſi conſtuprãdam ſe traderet, vel morte mulctaretur ex lege illorũ duorum teſtimonio, ſi eorũ libidini obſiſteret, ſalua eadem: maluit in illorum manus, id eſt, in periculum vitæ huius incidere, ſalua retentáque pudicitia, quàm ea amiſſa, ſalua autem vita, Dei voluntatem offendere. Itaque magna voce clamare cœpit, idémq; fecerũt ſenes. Famuli exaudita dominæ voce, ſtatim per poſticum accurrunt: audientes ſenes, qui eam à ſe deprehenſam in adulterio dicebant, quòd nihil vnquam tale de ea auditione accepiſſent, nõ ſolùm valde mirantur, ſed etiam erubeſcunt. Ne rem protraham, poſtridie accuſatur Suſanna, illorum teſtimonio cõdemnatur. Illa quæ nihil iam ſibi præſidij in hominibus conſtitutũ intelligeret, Deum vt ſibi conſuleret, his verbis precata eſt, Deus

æterne, qui conſiliorũ animi es cognitor, omniáque ſcis, antè quàm fiãt, ſcis falſum eſſe iſtorum in me teſtimonium, & tamen rapior ad mortẽ, niſi tu ſis innocentiæ meæ præſidio. Eam Deus audiuit, excitato in Daniele, tum etiam puero, ſuo ſpiritu, qui, cùm illa ad mortem duceretur, clamauit primùm in turba, ſe non affinem culpæ eſſe, qua Suſannæ innocentis ſanguis profunderetur: deinde cùm populus quæreret, quænam eſſet illa eius oratio, reſpõdit falſum eſſe illorum in eam teſtimonium, itaque redirent iudices ad iudicium. Iudices cùm ei fide habita, iterum de cauſa cogituri certiùs, eum, vt ſeſſum ſecũ veniret, monuiſſent, ipſe teſtes illos duos ſecernendos cenſuit. Secretos ſigillatim rogat, ſubter quam arborem, adoleſcentem Suſannæ ſtuprum inferre vidiſſent. Cùm vterque non eandẽ, ſed diuerſam nominaſſet, re cognita, omnes qui aderant, acclamare, ac laudare Deum, qui ſeruaret eos, qui in ipſo ſpes ſuas ſitas haberent. Hinc ex lege in ſenes illos duos pœna capitis animaduerterunt. Quo ex iudicio Daniel in poſterum magnam apud populum cõſequutus eſt & gloriam, & auctoritatẽ. Multa ei Deus per Gabrielem angelum de regibus Perſidis, Græciæ, & Aegypti, multa de Chriſti regno, multa de reſtitutione Hieroſolymorum, Hieroſolymita-

norúmque reductione enunciauit, quæ in libro, qui nomine eius inter ſacroſanctos habetur, explanata ſunt. Babylone autem mortuus eſt, ac ſepultus in Regia ſpelunca, vt ſcribit Epiphanius, qui ait etiam eius ſepulchrum ætate ſua omnibus notiſsimum fuiſſe.

ABACVC PROPHETA.

ABACVC *Propheta, agri Bexzochereni ex tribu Simeonia fuit, vt ait Epiphanius, fugítque relicta patria in Oſtracinam Iſmaelitarum regionẽ, cùm Nabuchodonoſorem infeſto exercitu, delendæ vrbis Hieroſolymæ cauſa, aduentare intellexiſſet. Ibi habitauit, quoad certior factus eſt, Chaldæos, capta direptáq; vrbe, cum ſpoliis & captiuis redire in patriam, & reliquos Iudæos, in his Hieremiã & Baruch, vt in eorum vita docui, in AEgyptum habitandi cauſa proficiſci. Tum enim in patriam reuerſus eſt. Seuerat poſt reditum, quoto anno incertum eſt, ordeum, ídque meſſe appetente meſſoribus decerpendum colligãdúmque locauerat. Cúmque prãdium paratum ad eos portaret, an-*

gelus Dei ei ſe oſtendens, præcepit, vt illud Danieli, qui Babylone in fouea leonum erat, ferret. Ipſe reſponderat angelo, ſe nec Babylonem vidiſſe vnquam, nec ſcire foueam, cùm ille eum capillo arrepto Babylonem tranſportatum, ad os foueæ collocauit. Ex ore foueæ appellato nomine Daniele, eum monuit de prandio, quod ipſi Deus mitteret. Cùm Daniel, laudato Deo, qui non immemor eſſet eorum, qui in ſe ſpẽ collocarent, actiſque ei gratiis pro eiuſmodi beneficio, pultem coctã, intritúmque panem ex Abacuc manibus ſumpſiſſet, angelus Dei pũcto temporis eum in eundem locum reportauit. Sunt qui confirmẽt, in his Epiphanius, eũ qui antè quàm eò deferretur, rem futuram prænoſceret, ſe ſuis procul profecturum eſſe prædixiſſe, atque mox rediturum: quòd ſi diutiùs abeſset, meſſoribus pararent, quæ ad victum pertinebant: eum verò eo ipſo die rediiſſe, atque interueniſſe cœnantibus etiã meſſoribus. In ſacroſanctis libris habetur liber perbreuis, qui inſcriptus eſt eius nomine. Principio libri vehemẽtiùs cum Deo expoſtulat, quòd bonos improbi vincant & exagitent, ſed aduentu Chriſti, qui bonos liberaturus & ſeruaturus eſset, prædicto à Deo, æquior factus, in precibus, quæ Chriſti vim & potentiam indicant, deſinit. In Iudæa autem, biennio

antè quàm Hieroſolymitani ex Chaldæa reducerētur, vt ait Epiphanius, exceſſit è vita xviij Calend. Februarij: eiúſque corpus, Deo patefaciente, Archadio imperatore inuentum eſt.

SOPHONIAS PROPHETA.

SOPHONIAS *Propheta, Chuſi patre; ex tribu Simeonia natus eſt. Is, Ioſia Ammonis filio rege Iudæ vaticinat⁹ eſt quæ eo libro, qui eius nomine in ſacroſanctis habetur, continentur. Terret primùm, deinde conſolatur. Prædicit Hieroſolymitanorum captiuitatē ob ſcelera quæ enumerat, cùm omniū, tum principum, & iudicum: diémque illum terroris cauſa nominibus appellat, quæ horrorē hominibus afferre ſolent. Prædicit etiā multarum nationum exitium, vt AEthiopum, Aſſyriorum, Moabitarum, atque Palæſtinorum. Extremo libro, de Chriſti aduentu & reſurrectione, Gentiúmque ad eum conuerſione, diſſerit. Mortuus eſt, ac ſepultus ſolus in agro ſuo, vt Epiphanius ſcribit.*

AGGAEVS PROPHETA.

AGGAEVS *prophetiæ munere, iuſſu Dei, admodum adoleſcens functus eſt anno ſe-*

cundo Darij Hiſtapis, primùm apud Zorobabelem Salathielis filium, & Ieſum Ioſedeci filium ſacerdotem, deinde apud ſacerdotes. Eius prophetiæ cauſa fuit eiuſmodi. Cùm Cyri regis iuſſu anno primo populus Iudaicus Hieruſalem reductus, ædificandi tẽpli Dei cauſa, diceret, nondum veniſſe eius ædificandi tempus, Aggæus miſſus eſt à Deo, qui diceret Zorobabeli duci, & Ieſu Ioſedeci filio, populum hoc falſum dicere, nondum veniſſe tempus domus Dei ædificandæ, cùm veniſſet, ob eámque cauſam prætermiſsa ſtructura, quæ magna copia ſeuiſsent, perexiguum fructum tuliſsent, retenta pluuia. Itaque diligenter opus inſtituerent, atque abſoluerent. Hanc Aggæi, aut Dei potius, orationem duo illi approbarunt, & illorum opera populus omnis. Cúmque ſexto mẽſe eiuſdem anni xxiiij die iam cœptum eſſet opus, rurſum miſsus eſt ad duos illos, quos dixi, & ad reliquum populum, primùm, vt duos illos ad pergẽdum hortaretur, quòd ipſis opem ferret Deus: deinde nunciaret omnibus, templum illud nouum vetus ſuperaturum eſſe gloria, propter aduentum Dei, qui immineret. Viceſimoquarto noni menſis die iterum miſſus eſt, qui diceret, confeſſione ſacerdotũ extorta à ſimili & inductione, quæ in templo donaria Deo deferrent, ea illi minus grata & ac-

cepta eſſe : & tamen tam gratũ eidem eſſe opus iactorum iam fundamentorum templi, vt deinceps fruges aucturus eſſet. Eodẽ die rurſum miſſus, prædixit, Zorobabelis nomine, Chriſti aduentum & gloriam. Aggæus hic, non ſolùm iuſſu Dei, Zorobabeli & Ieſu ſacerdoti, templi ædificandi veniſſe tempus nunciauit, verùm etiam cùm ei credidiſſent, eos in opere perficiendo iuuit, nec ſolùm vt opifex, ſed etiam nouo genere canẽdi. Ibi enim primus omnium Allelu-ia ceciniſſe, cum Zacharia propheta dicitur, quod verbum hebraïcum idem quod, laudate Deum, declarat. Itaque Allelu-ia, hymnus & laus Aggæi Zachariæq; dicitur. Migrauit autem à vita ibidem, & ad ſacerdotum ſepulchra cum honore ſepultus eſt.

ZACHARIAS PROPHETA.

ZACHARIAS *propheta, patrem habuit Barachiam Addonis filium. Is vaticinari cœpit eodem anno, quo Aggæus, id eſt ſecũdo Darij regis, ſed octauo menſe, cùm ille primo ſexti menſis die cœpiſſet. Diutiùs autem, quàm ille vaticinatus eſt, & pluribus. Nam & quarto etiam Darij anno functus eſt prophetæ munere, & liber qui eius nomine inſcriptus in ſacro-*

ſanctis habetur, multò plures verſus cõplectitur. Principio libri, iuſſu Dei, populo Iudaico, qui iam reductus erat è Babylone, præcipit, vt ad eum reuertatur, quòd ita demum ipſe ad eos reuerſurus eſſet: ne ita viuant, vt eorum maiores, qui priorum prophetarum, ipſos à vita flagitioſa ad ſanctam deducentium, præcepta ſemper contempſiſſent: ne mentiantur, ſed, quod verum eſt, proximis ſuis dicant: verè atque amicè iudicent: ne malum animo proximis moliantur: ne iuſiurandum falſum ament. hæc enim eſſe, quæ Deus odiſſet. Ieiunia etiam ſingula ſingulorum menſium, quarti, quinti, ſeptimi, atque decimi, ſolennia voluit eſſe. Hæc ſi facerent, eos omnia quæ ſererent eſſe percepturos cum fœnore & abundantia. Prædixit aduentum Chriſti Hieroſolymã in aſina, eiúſque proditionis precium. Ei oſtẽdit Deus Ieſum Ioſedeci filium, ſacerdotem magnum ſtantẽ coram angelo ſuo, Satanámque ad dextram ſtantem, vt ei aduerſaretur. Quem cùm Deus obiurgaſſet, mutatione veſtium condonata ei peccata eſſe ſignificauit per angelum, eúmque iudicem futurum, ſi præceptis ipſius obtemperaret. Quarto Darij anno, quarto die mẽſis noni, id eſt Nouembris, quidam, in his Saraſar & Rogommelech, Hieroſolymam miſerãt, conſultum ſacerdotes ac prophetas, num flere

quinto menſe deberent in poſterum, & abſtinere, ut iam ſuperioribus tẽporibus anníſque multis feciſsent. Deus autem Zachariam prophetico ſpiritu afflatum & permotum, iuſsit quærere à populo regionis, & ſacerdotibus, num ipſi ſeptuaginta annis, quibus exules fuiſſent, cùm ſeruarent ieiunium quinto & ſeptimo menſe, Deo ieiunaſſent: aut cùm caperẽt cibum & biberẽt, num eidem comediſſent ac bibiſsent: his verbis declarans Deus ſibi grata non fuiſſe eorum ieiunia, prandia atque cœnas, quòd cum benignitatis, miſericordiæq́ue operibus coniuncta non fuiſsent, quemadmodum eos admonuiſset per ſuperiores prophetas: eóque factum eſſe, ut in eos concitatus, in omnes ipſos regiones diſperſiſſet. Multa etiam alia prædicit, quæ non ſunt huius inſtituti. Idem & Ioſedeco prædixit, ut ait Epiphanius, fore ut filium procrearet, qui Deo in templo ſacerdos ſeruiret, & Salathieli, ut generaret Zorobabelem. Sunt, ut ait Hieronymus, qui volunt hunc eſſe Zachariam, quem Chriſtus apud Matthæum inter templum & altare interfectum eſse confirmat. Epiphanius autem hoc ad Zachariam Ioannis Baptiſtæ patrem refert in eius vita, húncque ſcribit ſenẽm admodum mortuum eſſe in Iudæa, ſepultúmque ad Aggæum prophetam.

ESDRAS PROPHETA ET SCRIBA.

ESDRAS propheta & ſcriba, ex tribu Leuina Saraia patre natus eſt. Is Artaxerxe rege Babylone, vt ipſe ait, captiuus fuit, & triceſimo ferè anno poſt deletam Hieroſolymam vaticinari cœpit. Mentionem in libro vaticinationis facit Malachiæ prophetæ, qui tamen reducto iam populo natus dicitur: Itaque hoc prophetico ſpiritu permotus prædixiſſe exiſtimandus eſt. Sed quoniam vitam réſque geſtas Eſdræ ſcribimus, ordo tẽporum in eis exponendis, quandiu licebit, nobis ſeruãdus eſt. Cyri quidem regis Perſarum anno primo, quo ſeptuaginta anni captiuitatis prædicti à Hieremia, expleti ſunt, illius conceſſu, cum Zorobabele duce, & Ieſu Ioſedeci filio, ſacerdote, ac cæteris qui eos ſequi voluerãt, Hieroſolymã, ædificandi templi cauſa, Eſdras hic profectus eſt. Quandiu autem ibi fuerit, incertum eſt. Rediit enim Babylonem poſtea, ſeptimóque Artaxerxis anno, inde Hieroſolymã, illius cõceſſu, cum multis reuerſus eſt, ita vt cùm profecti eſſẽt Babylone primo die menſis primi, Hieroſolymam primo quinti menſis die peruenerint. Quæ eius profectio vel reuerſio, cur, et quẽadmodum eue-

nerit; aut procurata ſit, quoniã ad eius ſummam laudem pertinet, exponẽdum cenſui. Opus quidem templi Hieroſolymitani, quod Cyri edicto cœptum, hoſtium Hieroſolymitanorum odio & inuidia intermiſſum fuerat, Darij regis ſexto anno, tertio menſis duodecimi die abſolutum eſt. Anno autem ſeptimo Artaxerxis Darij filij, cùm ipſe benignitate Dei plurimum apud regem poſſet; cùm ob maximas virtutes, quibus erat præditus, tum quòd eum doctiſſimum legis Dei ſcribam ſciret eſſe, petenti, vt Hieroſolymã cum popularibus ſuis qui vellent, legis ſcribendæ explanandæque cauſa proficiſceretur, non ſolùm conceſſit libentiſſimè, verùm etiam diploma ei dedit, ex quo, quàm apud illum gratioſus eſſet; facilè intelligi poteſt. Diplomatis autem illius exẽplum eſt eiuſmodi. Artaxerxes rex regum Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ doctiſſimo legis Dei cœli, Salutem. A me edictum factum eſt, vt tecum Hieroſolymam proficiſcatur qui volet, ex regno meo, de populo Iſraelitico, ſacerdotibus, & Leuitis. A me enim de conſilio & ſententia ſeptem conſiliariorum meorum miſſus es, vt in Iudæa & Hieroſolymis legẽ Dei tui, quam tenes, doceas & explanes, proponáſque omnibus: feráſque aurum & argentum, quod ego cõſiliariíque mei vltrò ac ſponte obtulimus Deo Iſrae-

lis, cuius templum eſt Hieroſolymis. Quòd ſi populus, qui eſt in regione, aurum & argẽtum dare voluerit, id omne tibi accipere per me licet, eóque emere vitulos, arietes, agnos, aliáque ad ſacrificia neceſſaria, quæ in templo Dei tui offeras: ac ſi quid argenti aurí ve reliquũ fuerit, tibi ac tuis, ex Dei veſtri volũtate, quod placuerit faciatis. Vaſa etiam, quæ tibi traduntur ad rem diuinam in templo Dei tui procurandam, ibi cura, vt præſtò ſint. Quòd ſi quid prætereà ibi deſit, aut abſit, id velim à præfectis meis, quos trans flumen fiſco meo præpoſui, petas. Hoc enim eis edicto meo imperaui, ne fortè Deus tuus, & mihi ſuccẽſeat, & liberis meis: itémque vt ij qui rem diuinã procurant, immunes omnino ſint. Tibi quoque fas eſto pro poteſtate ſtatuere, ac dare iudices atque præfectos pro Dei tui ſapientia, qua es præditus, qui ius dicant populo Dei tui. Eis autem, qui legi Dei tui non parebunt, neque huic edicto meo, ius tibi eſto conſtituere pœnam ſiue exilij, ſiue capitis, ſiue carceris, ſiue mulctam dicere. *Eſdras hoc accepto diplomate, cùm regi coràm gratias egiſſet, Deo etiam per ſe gratias egit, quòd Regis animum ad honorãdum honeſtãdúmque templum ſuum flexiſſet, feciſſétque pro ſua in ipſum benignitate, vt apud Regem, conſiliarióſque eius ac prin-*

cipes ea in re valuiſſet gratia. Ex hoc autem edicto, primo die menſis primi, anno ſeptimo, rege ipſo Artaxerxe, profectus Babylone Eſdras, ingentem multitudinem popularium ſuorum, ad fluuiũ, qui in Ahauam flumen influit, conuocauit. Ibi triduum cum eis commoratus, cùm Leuitas in populo & ſacerdotibus quæſitos non inueniſſet, miſit vndecim principes ac ſapientes ad Eddo fratréſque eius, qui audita legatione eò cõuenerunt. Indicto autem omnibus ieiunio, ad Ahauam, vt precarentur Deum, vt ſibi omnia in itinere proſperè euenire vellet, (neque enim auſus erat ipſe petere à Rege cohortem, aut equites qui omnes tutò deducerent, ſed ſibi ac ſuis præſidium Dei non defuturum dixerat) inde, duodecimo die, digreſſus eſt. Quod precatus erat cum cæteris à Deo, vt omnia ſibi proſperè in via acciderent, id ita euenit, vt cùm quinti demum menſis die primo Hieroſolymam peruenerint, tamen nihil mali ſenſerint, neque hoſtiũ inſidiis aut malis ſint oppreſſi. Hieroſolymam cùm veniſſet, quarto die, omnia in templo Dei, ex edicto Regis, perficienda curauit. Idem paulò pòſt boni ſapientíſque ducis officio functus eſt. Contra Dei præceptũ, & legem, multi cum exteris coniugia contraxerant: quod cùm principes Eſdræ narraſſent, ipſe diſciſſa veſte

& pallio, euulſiſque pilis & capitis & barbæ, triſtis ante templum ſedebat: eóque in vultu & habitu permãſit, vſque ad ſacrificium quod fiebat veſperi, cùm ad eum conueniſſent omnes, qui Deum metuebant, & religiosè colebant, ob aliorum violationẽ & ſcelus. In ſacro illo cùm ſurrexiſſet, flexis poplitibus, demiſſo vultu, paſſis manibus, profeſſus eſt Deo, ſe pudore prohiberi, ne ad ipſum vultum attolleret, quòd ſcelera & maiorum, & populi qui tum eſſet, multitudine & grauitate infinita eſſẽt, eorúmq; cauſa iure eos deditos fuiſſe libidini nationum. Cùm hæc multáque alia Eſdras Deo in precibus fateretur, conuenit ingẽs turba virorum, mulierum, puerorúmque flentium. In iis Sechenias vnus pro omnibus apud Eſdram verba fecit, ſe atque cæteros omnes Dei legem violaſſe, & accepiſſe vxores alieni generis, ſed tamen, ſi pœnitentiæ locus eſſet, ſe atq; illos fœdus cum Deo eſſe percuſſuros, quo promitterent ſe vxores cum liberis natis ex eis repudiaturos eſſe ex Dei conſilio, & eorum qui eum religiosè colerent, vt legi Dei omnes parêrent. Itaque ſurgeret ipſe, cuius eſſet de hoc toto negotio ſtatuere. Cùm ſurrexiſſet, iureiurãdo adegit & obſtrinxit ſacerdotes ac Leuitas primos, omnémque Iſraelem, ſe ex Secheniæ verbis eſſe facturos. Cùm iureiurando con-

firmaſſent, nõ antè cepit cibum, & bibit, quàm conſenſu omnium imperatum eſſet, vt intra triduum omnes tribus Iudaicæ & Beniaminianæ Hieroſolymam, vt ſtatuerant principes & maiores natu, conuenirent, pœnáque eſſet, iis qui ad diem non venirent, facultatum priuatio, & ex cœtu populi Dei eiectio. Tertius dies incidit in vicesimũ menſis noni, eiuſdem anni, diem, quo, vt ſancitum pœna fuerat, omnes conuenerunt Hieroſolymam. Cùm ſediſſent omnes in area templi, Eſdras ſurgens, expoſuit eis tremẽtibus ſceleris cauſa & nomine, quàm graue ſcelus admiſiſſent, quòd vxores alieni generis accepiſſẽt, ſed tamen veniam à Deo, ita denique eos impetraturos eſſe, ſi vxores illas repudiarent, & à nationibus illis ſe diſiungerent ac ſecernerent. Omnes magna voce ita ſe facturos dixerant, ſed quoniam ingentem multitudinem eſſe ſcirẽt, atque rem illã nõ eſſe vnius diei, præſertim cùm pluuia vrgeret, rogarunt eum, vt deligerentur principes, qui cũ ſenibus, ſtatis diebus, de iis, qui vocarentur, ſtatuerent. Cùm hoc placuiſſet, eis dimiſſis, ipſe cum delectis iudicibus primo decimi menſis die, ſedere cœpit conſtitutis in locis, vt rem quærerent: eáque diligentia ab eis adhibita eſt, vt calendis primi menſis confectum ſit negotium. Ita expiatis omnibus, ſe poſtea ad legem

Dei recitandam rogatu omnium contulit. Id factum eſt menſe ſeptimo, id eſt, Septembri, qui erat ferè totus apud Iudæos Dei religioni ac cultui, ob dies feſtos, dicatus. Igitur calendis eius menſis, cùm infinitus numerus virorum ac mulierum ex vrbibus ac vicis, vtriuſque tribus, id eſt, Iudainæ ac Beniaminiæ, Hieroſolymam ad aream, quæ portæ aquarum adiuncta erat, conueniſſet, Eſdras omniū rogatu, ex ſcripto legem Moſaicam, à prima luce ad meridiem ſtans, ex gradu ligneo, qui eius rei cauſa factus fuerat, facta audientia recitauit. Cùm lex ita clara voce, vt omnes exaudirēt, ab eo recitaretur, omnes flebant. Quod intelligens Eſdras, monuit eos, ne flerent, quòd dies ille Deo conſecratus eſſet: itaque abirent, cibúmque caperent cum gaudio. Poſtero Die, principes familiarum vniuerſi populi, ſacerdotes ac Leuitæ, adeuntes ad eum, illum, vt ſibi atque aliis verba legis interpretaretur, rogarunt. Quoniámque ſcriptum legerant, præcepiſſe Deum Moyſi, vt Iſraeliticus populus die feſto Tabernaculorum, qui ſeptem dies complectebatur, contexeret ſibi tentoria ex virgultis frondibúſque arborum, in quibus habitarent, iuſſu illius contexta ſunt: ac tum denique quotidie ad ſeptimum diem, ipſe eis legis verba recitabat, & interpretabatur. Quo tempore di-

L

citur Pſalmis Dauidis Inſcriptiones, quas legimus, & quibus ad eum diem caruerant, addidiſſe. Dies autem feſtus Tabernaculorum, agebatur à decimoquinto Septembris die, ad ſecundum & viceſimum, octauúſque dies erat celeberrimus: quibus conſumptis in recitanda, explanandáque, vt dixi, lege, quarto & viceſimo ieiuni, atque ciliciis amicti, opertíque puluere omnes conuenerunt, demiſſo vultu confitentes de peccatis, cum lachrymis, repudiatíſque alieni generis vxoribus. Eſdras multis verbis Deo & laudes tribuit, & egit gratias, & illius in populum ſuum beneficia expoſuit, & maiorum atque eorum, qui tum erant, ſcelera commemorauit, quorum cauſa in populũ ſuum Deus ſemper animaduertiſset, nec tamen pro eo ac potuiſſet, de eo ſumpſiſſet ſupplicium: ad extremum eius cohortatione percuſſerunt fœdus cum Deo, quo ſe eius legem obſeruaturos eſſe promiſerũt, idque obſignarunt plurimi. Triceſimo anno poſt deletam, vt dixi, Hieroſolymam, Babylone vaticinatus eſt, multáque vidit ſomnia, & viſa illi obiecta ſunt obſcura, quæ Vriel angelus Dei explanauit, cùm eorum optaret & requireret interpretationem. His autem tot, támque præclaris rebus geſtis, Hieroſolymis exceſsit è vita.

MALACHIAS PROPHETA.

MALACHIAS *propheta tribus Zabuloniæ. Is poſt reditum populi à Babylone natus eſt, poſtremúſque vaticinandi functus eſt munere. Præclaram honeſtámque vitam eum egiſſe à puero Epiphanius ſcribit, quódque populus illum vt pium & clementem coleret, ab eo appellatum eſse Malachi, id eſt, angelum. Prædixit multa de Chriſti aduentu, & expiatione. Obiurgat acriter ſacerdotes Iudæorum, quòd Deum honore nõ afficiant, hoſtiáſque ei illo indignas immolent, quibus ſpretis, Gẽtium ſacrificium Deo acceptum fore prædicit. Eum, cùm etiam tum iuuenis eſſet, mortuum eſſe, idem Epiphanius memoriæ prodidit.*

Idibus Maij obiit.

LIBRI SANCTORVM

DEI PROPHETARVM

FINIS.

IOACHIMI PERIONII BENEDICTINI CORMOERIACENI, de vitis ſanctarum mulierum veteris Teſtamenti, Liber.

Euæ primæ mulieris, & omnium parentis, vita.

EVA *prima mulier & parens omnium, non, vt procreatio peruulgata hominum fert, patre & matre nata eſt, ſed nouo miróq; modo, ex Adamo primo homine ſolo, cui poſtea nupſit, Dei procuratione duxit originẽ. Nam, cùm Deus ex nihilo vi ſua præpotẽti principiò factis cœlo & terra, tãquam rerum ſeminario & cœleſtium & terrenarum omnium, primóque die, quẽ Dominicum à Domini noſtri reſurrectione appellamus, luce creata: ſecundo, firmamento, quod cœlum appellatum eſt, cùm aquas, quæ ſubter firmamentum ſitæ erant, ab iis quæ ſuper illud erant ſecreuiſſet: tertio, terra & mari, cùm aquas quæ terram obruebant, vnum in locum contuliſſet: herbíſque & arboribus omnium generum, quæ iuſſu eius ſubitò ſemen, fruges, fructúſq; protu-*

lerunt: quarto, ſole, luna, & ſtellis: quinto, piſcibus atque auibus: ſexto, primùm beſtiis, deinde Adamo ex limo terræ, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: cùm eum in paradiſum hortúmque amœniſsimum, eius excolẽdi cauſa, introduxiſset, neque ei adiutor ſimilis & commodus, quo illum carere non æquum cenſebat, inueniretur, ob eámque cauſam faciendum decreuiſset: fecit, vt ille graui ſomno opprimeretur, eóque dormiente, accepit coſtarum eius vnam, ex qua mulierem, quæ Eua appellata eſt ab Adamo, finxit. Eam Adamus, cùm ad illum Deus adduxiſset, ſpiritus prophetici afflatu & permotione intelligens id quod factum fuerat, Euam dixit, os eſse quod ex oſsibus ſuis, ac carnem, quæ ex carne ſua ſumpta eſset, ob eámque cauſam illam, vt interpretes dicunt, Viraginem vocatum iri, quòd ſumpta eſset ex viro. Atque hoc eſt nouum & mirum Euæ, quod dixi, genus originis. Deus ita fictis Adamo & Eua ad imaginem ac ſimilitudinẽ ſuam, animi mentíſque munere, Euam in horto amœniſsimo, qui paradiſus terrenus dicitur, & in quo Adamum iam, vt dixi, collocauerat, cum eo reliquit: voluitque ex omnium arborum fructu vtrunque victitare, præter quàm vnius, quæ arbor ſcientiæ boni & mali appellabatur, cuius fructu, vt

abſtinerent, præcepit, morte pœna violati præcepti conſtituta. Hoc loco quàm fragile fuerit, ab exordio & initio ſuo genus hominum, facilè intelligi poteſt, quantáque iam tum in illud inuidia diabolus flagrare cœperit. Erat enim eis hoc præceptum facile obſeruare, cùm in tanta arborum copia & abundantia, huius vnius vetitus eſſet fructus, præſertim tam graui ſupplicio, ſi violaſſent, cõſtituto, nec vllas in animo & corpore ſentirent illecebras voluptatis: & tamen diaboli inuidia ſola, obliti & ſalutis ſuæ, & ſuorum, illud ſtatim violauerunt. Nam diabolus ſerpẽtis ſpecie & figura ad Euam veniens, cùm eã primùm rogaſſet, cur ipſi atq; viro Deus vetuiſſet, ne arboris ſciẽtiæ boni ac mali fructu veſcerentur, atque illa prudenter reſpondiſset, ſibi atque viro, cõceſſu Dei, licere ex cæterarum arborum fructu edere, ex fructu autẽ illius, quam diceret, nõ licere, ne morte mulctarẽtur, aut interirent: deinde hoc protuliſſet, eos nõ eſſe morituros, Deum ſcire, quacunque hora comederent, fore, vt & eorum oculi aperirentur, & ipſi, vt Dij, bonum & malum ſcirent: hoc vno verbo, quo eis ſcientiam parem Dei ſcientiæ pollicebatur, illi facilè perſuaſit, vt hoc fructu contra Dei præceptum, morte etiam certa propoſita, & animi, & corporis, veſceretur: nec ſola ipſa ve-

ſceretur, ſed viro etiã perſuaderet, vt veſceretur, ne ſola tanti boni, quod vtrique ille promitteret, fieret particeps. Quo quidem loco liberet deplorare generis hominum miſerias, quæ ei hoc eſu partæ ſunt, ſi eſſet noſtri inſtituti. Itaque iis tantùm, quæ ſunt huius loci propria, contenti eſſe debemus. Eua & Adamus, vt primùm fructum deguſtarunt, aliquas violati præcepti pœnas dederunt. Nam qui ad illud tempus nudi ſine vllo pudore ex naturæ aſpectu fuerãt, ſtatim cõtextis ex foliis fici ſubligaculis, naturam operueunt, & exaudita voce Dei in paradiſo à merdie inambulantis, eius conſpectum fugientes, inter arbores ſe abdiderunt. In quo mirari licet eorum peccato inductam ignorationẽ, qui cùm tanta Dei rerúmque omnium ſcientia præditi eſſẽt, & ornati, tamen Deum ex hominum natura æſtimabant, quaſi ipſe abditos ac deliteſcentes non videat, qui omniũ etiam animi conſiliorum ſcrutator & contemplator eſt. Itaque multum eos fefellit opinio. Inuenit enim vtrunque, quem peccato vulneratũ, non, vt perderet, quærebat: ſed, vt curaret, atque ſanaret. Ac primùm quidem Adamum, qui, vt vir, cautior eſſe debuerat, aggreditur, & ex eo, vbi ſit, quærit: non quòd quem in locum ille ſe abdidiſſet, ignoraret, ſed vt reſpondendo eum haberet de pec-

cato confitentem. Deinde cùm reſpondiſset, ſe, exaudita eius voce, timuiſſe, propterea quòd nudus eſſet, ob eámq; cauſam ſe occultaſſe: quæſiſsétque Deus, quíſnam ipſi ſe nudum eſſe dixiſſet, niſi quòd ex fructu, quẽ vetuiſſet, comediſſet: atque ille reſpondiſset, non agnoſcens culpã, ſed in alterum conferens, mulierem, quam ipſi ſociam dediſſet, fructũ obtuliſse, ex quo ediſſet: tum Euam rogat, cur id fecerit. Illa eodẽ modo quo vir, in ſerpẽtem culpam conferens, ſe deceptam ab eo comediſſe reſpõdet. Tũ Deus nõ, cur hoc fecerit ſerpens, quærit, ſed primum vt totius mali auctorem cõdemnat: hoc ipſo docens, quærendum ſemper eſse mali & peccati auctorem, vt pœnà primus, quippe qui principium eius ſit & caput, ac ſine quo malum omnino ſequutum non fuiſset, coërceatur. Pœnam ſtatuit in ſerpentem, quòd eius ſpecie, in fallendo captandáque Eua, diabolus vſus eſset, id eſt, detetestationem maiorem, quàm in quoduis aliud animans, & ingreſsum non pedum præſidio, ſed pectoris, terræque deuorationem pro cibo. Supplicium aliud ſtatuit in diabolum mali caput, æternas inter eum & mulierem, ac ſemen vtriuſque, inimicitias: ita tamen vt Euæ ſemen, id eſt, Chriſtus, eius caput obtereret. Euæ autẽ dixit Deus, fore vt ſupplicij cauſa eius conceptus

ac dolores multiplicaret, ipſaque cum dolore filios pareret, ac viri ſubeſſet poteſtati, qui ei dominaretur. In Adamum verò hanc tulit, pronunciauitque ſententiam. Quoniam vxori ſuadenti paruiſti, & ex fructu, quem vetueram, comediſti: & terra ex opere tuo execrationem ſumet, & tu ex ea per omne vitæ tuæ tẽpus cum mœrore comedes, dum tibi vepres & carduos edet: & cum ſudore tibi ea parabis quæ ad vitam ſunt neceſſaria, quoad reuertare ad terram vnde ſumptus es. Priuata hæc Adami & Euæ ſupplicia, commune vtrique excepit. Contextis enim ex pellibus vtrique tunicis, amictos ex loco illo amœniſſimo, colendæ terræ cauſa, eiecit: ac ne eò rediret, ante portã, Cherubim, qui viam illuc ferentem cuſtodiret, gladium micantem & verſatilem tenentem, locauit. Ita eiecti ex fœliciſsimo beatiſsimóque loco in hunc miſeriæ pleniſsimum, liberis operam dederũt, quàm mox incertum eſt, concepítque Eua ac peperit filium cui nomen Cain impoſuit, quòd diceret ſe hominem habuiſſe Dei benignitate. Alterum etiam Adamo peperit, cui nomen Abelis impoſuit. Hunc Cain inuidia incitatus occidit, quòd opera illius probari ac placere Deo cerneret, ſua verò diſplicere. Abel autem pecuariam colebat, opimóſque gregis ſui arietes Deo immola-

bat: Cain verò agriculturam ſequebatur, nec Deo manipulos plenos offerebat. Cuius ex morte quantum doloris Eua ceperit, hinc intelligi poteſt, quòd cùm annos nata centum & triginta alium filium peperiſſet, memor etiam tum non ſine dolore Abelis, eũ Seth appellauit, quòd Deus ſibi aliud ſemen dediſſet pro Abele, quem Cain interfecerat. Quanquã autem Deo tã grauiter, vt dixi, peccauit, tamen expulſa cũ viro, ex loco illo amœniſsimo, in hunc miſeriæ ac triſtitiæ plenum locum, in quo Deus remedium ſalutis hominibus nunquam eripuit: eius munere ita vixit, vt partim illius cultu ac religione, partim præclara liberorum inſtitutione & educatione, partim iuſtitia aduerſus omnes ſeruanda, hinc ad cœlum tandem euolaſſe credatur.

Saræ Abrahami vxoris vita.

SARA *Thare Abrahami patre, ex altera vxore, vt nonnullis placet, vel Aram eiuſdem Abrahami fratre, vt alij tradunt, nata eſt. Ea Abrahamo, cùm etiam tum Abram, id eſt, Pater excelſus, appellabatur, nupſit: Saraique tũ etiam dicebatur, id eſt, Domina mea. Sara autem, id eſt, Domina, cur*

appellata ſit, & Abram Abrahamus, id eſt, Pater multitudinis, ſiue multarum Gẽtium, dicemus idoneo loco. Ordinem enim temporum in ſcribenda illius vita, ne confuſio perturbatióque rerum conſequatur, ſeruabimus. Incolebãt quidem ipſa & vir eius Abrahamus, vrbẽ Chaldæorum Vram nomine, ex qua cùm migrare inſtituiſset Thare Abrahami, vt dixi, pater, cum vtroque, & Lot Aram Abrahami patrui filio, id eſt, patruele, profectionem ſuſcepit in regionem Chananæorum: cúmque Haran veniſſet, ibi cum eis habitauit. Eo autem ibi mortuo, cùm ducenteſimum & quintum annũ ageret, Abrahamo annos nato quinque & ſeptuaginta, per quietẽ & viſum præcepit Deus, vt relicta patria, in regionem, quam illi mõſtraret, proficiſceretur. Sic enim fore, vt magnũ clarúmque eius nomen redderet, Gẽtéſque eius cauſa & nomine, vt noſtri loquuntur, benedicerentur. Abrahamum præcepto Dei parentem ſequuta eſt Sara, ſeque ei non ſolùm comitem itineris, ſed laborum quoque ac periculorum ſociam præbuit. Obita magna ex parte Chananæorum regione, fame coacti in AEgyptum ſecœdebant, cùmque ad eius fines perueniſsẽt, rogauit aut monuit Saram vir ſuus, vt ſe ipſius ſororem eſſe diceret, ne ſi AEgyptij vxorem eſſe cognouiſsẽt, forma

illius capti, eum ipſius cauſa, vt ea liberè potirentur, interficerent. Hoc cùm illi pollicita eſſet ſe eſſe dicturam, AEgypti fines ingrediuntur, AEgyptij animaduerſa eius præſtanti forma, ſtatim cucurrerũt Regi nunciatũ, veniſſe egregia forma fœminam. Quo nũcio lætus Rex, primùm eam cum Abrahamo & Lot in Regiam introduci, deinde, ea retẽta, ibi in proximo illos habitare iuſsit, cùm intellexiſset, qui eſsent, & vnde, & quò proficiſcerẽtur, ſed maximè cùm ex ipſo illam eius ſororem eſſe comperiſſet. Ita ſeruata viro fide, non ſolùm eum à mortis diſcrimine liberauit, id quod vnũ ille optabat, verùm etiam in cauſa fuit, vt humanè à Rege, qui eam vxorem accipere inſtituerat, haberetur, & ab eo beneficia acciperet. Oues enim, boues, aſinos, ſeruos, famulas, aſinas, & camelos ei dedit. Sed neque diu illa fuit in Regia Pharaonis, neque ei nupſit. Eius enim cauſa, id eſt, quòd eam Pharao rapuiſſet, Deus eum maximis malis, Regiámque illius affecit, quo malo coactus, cùm in quiete illi, vxorem Abrahami eſſe enunciaſſet, ſubitò accerſitum illum acerbè obiurgauit, quòd illam ſororem ſuam, quæ vxor eſſet, dixiſſet eſſe, redditáque illi Sara, deducẽdos illos, cùm bonis omnibus, commiſit ſuis. Illi reuerſi eodem, vnde profecti fuerant in AEgyptum, in Cha-

nanæorum regione habitarunt, cùm Lot aliam delegiſſet. Deus nec ita multò pòſt cum Abrahamo fœdus fecit, promiſitque ſe daturum eius ſemini quicquid inter fluuiũ AEgypti & Euphratem ſitũ eſſet. Quod cùm ille Saræ expoſuiſſet, ipſa quæ ſterilem ſe videbat, eum rogauit, vt Agar ancillam ſuam AEgyptiam, vxorem duceret, ſi fortè ex ea ſuſciperet liberos. Duxit eam illius conſenſu & rogatu, decimo anno poſt quàm in regione Chananæorum habitare cœpiſſent. Ea ex Abrahamo grauidata, contempſerat dominam: quod ipſa moleſtè ferens, queſta eſt apud virum de iniuria, quòd cùm ei ancillam ſuam vxorem dediſset, illa tamen quæ ſe concepiſſe cognoſceret, dominam ſuam contemneret. Itaque optabat, ſibi dari Deum eius controuerſiæ iudicem vel arbitrum. Abrahamus, ne illi maioris doloris cauſam daret, ea in re, quæ cõtra ius erat, hoc tantùm reſpondit, ei per ſe licere quod vellet ſtatuere in ancillam, in quam imperium haberet. In quo, vtriuſque in alterum fides & ſubmiſſio mutua perſpici poteſt: Saræ, quæ ſine conceſſu viri nihil in ancillam ab officio diſcedẽtem voluerit ſtatuere: Abrahami, qui dominæ in ſeruam, quam conceſſu illius in matrimonio habebat, ius violare noluerit. Sara ergo, quæ ius ſuum in ancillã ſaluum intelligeret, con-

ſenſu viri, in eam malè ac ſeuerè conſulebat, cùm illa, fugâ irã Dominæ, atque adeò verbera vitanda cenſuit. Eam cùm inueniſſet angelus fugientem, quæſita cognitáque fugæ cauſa, iuſsit redire ad Dominam, & erga illam ſe ſubmiſsè gerere. Quod cùm feciſset, placidiore & æquiore, quàm anteà, vſa eſt. Poſt vrbes Sodomorum & Gomorrhæorum de cœlo tactas & deletas, Abrahamus cum vxore in fines Geraræ, ex patria, habitãdi cauſa, profectus erat. Ibi Saram non vxorem priuatim & publicè appellabat, ſed ſororem. Quod cùm Abimelech Rex Geraræ auditione accepiſſet, eam rapuit. Antè quàm cum ea conſuetudinem haberet, Deus in quiete, mortẽ ei, mulieris quam viro rapuerat, cauſa, minatus eſt, quæ ſequeretur quamprimùm, niſi eam viro ſuo redderet. Cùm ille non malo animo, ſed ignarum & imprudentem ſe id feciſſe dixiſſet, quòd Abrahamus illam ſororem ſuam eſſe confirmaret, Sara Abrahamum fratrem: hoc ſe ſcire dixit Deus, ob eámque cauſam feciſſe ne peccaret. Nocte eadem ſurgens ſtatim Abimelech, ſuis omnibus hæc narrauit omnia, quibus vehementer perterriti ſunt: Abrahamóque, cùm eũ obiurgaſſet, reddita vxore, vtrúnque cum muneribus dimiſit, facta, vbicunque vellent, habitandi poteſtate. Saræ autem præter-

ea dixit, mile argenteos Abrahamo dediſſe, qui eſſent teſtes omnibus illius pudoris, eam monẽs, vt quocunque perrexiſset, ſe deprehenſam eſſe meminiſſet. Sara erat, iam vt dixi, ſterilis, tantúmque ætate proceſſerat, vt ei fieri muliebria deſinerẽt, cùm Deus eo ipſo die, quo eum Abrahamus, ſpecie trium viatorũ ſiue hoſpitum, exceperat, ei promiſit fore, vt illa conciperet ac pareret filium. Ipſa autem hoc audiens, poſt oſtium tabernaculi, clàm riſerat, quaſi hoc fieri nõ poſſet, quòd & ipſa anus eſſet, & vir ferè centum annos natus eſset. Ob eámque cauſam Deus, cui nihil occultũ eſt, nihil incognitũ, ab Abrahamo quæſierat, cur illa riſiſſet, dicens ſecum in animo, anum párere non poſſe, quaſi Deo aliquid eſſet difficile: ipſaq́; timore perterrita egrediẽs, ſe riſiſſe negauerat, cùm Deus ipſe eam refellit. Riſum hunc eius, & verba, plerique ad illius diffidentiam referunt: ſed qui ea admirationis eſſe dicet, non aberrabit. Ipſa quidem certè exemplo mulieribus eſſe poteſt, quas ſe erga viros gerere debeant, quemadmodum etiam Petrus Apoſtolus monet. Abrahamum enim virum, Dominum ſuum appellabat. Quod non ſolùm verbo, ſed re etiam, exequebatur, ei in iis quæ virtuti conſentanea ſunt, obtemperãs. Exemplum vnum proferam, ex quo de cæteris

licebit iudicare. Abrahamo Deus, vt paulò antè docui, ſpecie trium peregrinorum ſe oſtendit in conualle Mambræ ſedenti meridie ante oſtium tabernaculi ſui. Cùm rogatu illius, ſe velle cibum capere dixiſſet, nõ ancillis, quas multas habebat, ſed Saræ huic, vxori, præcepit vt panẽ, quem ei apponeret, faceret. Ipſa officium tam ſordidum non detrectauit, ſe vxorem eſſe dicẽs, ancilláſque nominãs, quibus eiuſmodi negotium mandaret, non ſibi, quæ ancilla non eſſet, ſed vltrò ac ſponte, & libenter munus impoſitum eſt executa. Ex quo intelligi par eſt, Abrahamum, qui virtute hoſpitalitatis excelluit, Sarã vxorem ſemper eius in colẽda illa habuiſſe in ſimili re ſociam & participem. Cõſtituto à Deo tempore, concepit, peperítque filium, cui Iſaac nomen impoſuit, cum ſumma & ſua & omnium admiratione: Erat enim nonaginta annos nata, & Abrahamus ferè centum. Eidem Deus Eccleſiæ Gentium, teſtamẽtorúmque duorum myſterium enunciauit. Nam cùm Iſmaelem Agar ancillæ filium, cum Iſaac filio ſuo ludentem vidiſſet, atque adeò eum exagitantẽ, queſtáq; eſſet apud virum, egiſſétque cum eo, vt Iſmaelem cum matre eiiceret: ille autem hæc verba ƈius grauiter tuliſſet, quòd Agar vxorem duxiſſet illius conceſſu, ex qua Iſmaelem ſuſcepiſſet:

Deus

Deus illum monuit, ne durum & aſperum putaret, quod illa dixiſset, quin ei illa in re obtemperaret, propterea quòd ex Iſaac, ſemen, id eſt Chriſtus, ei naſceretur. Itaque iuſſu Dei, vtrunque domo expulit. Hæc cùm geſſiſſet, aliáque præclara permulta, centeſimo viceſimo ſeptimo ætatis anno, Sara in ciuitate Arbee, quæ Hebron dicebatur, exceſſit è vita. Eius mortis nũcio accepto Abrahamus venit, eámque luxit, ac ſepeliuit in ſpecu duplici, agri quem & antrum ab Hethæis quadringentis ſiclis, eius rei cauſa, poſt officium funeris emit, in qua etiam ſepultus eſt.

Rebeccæ vxoris Iſaac vita.

REBECCA *parentem habuit Bathuelem (neque enim matris nomen inuenio) Nachor fratris Abrahami ex Melcha filium. Ea nata eſt in Meſopotamia, diuinitúſque Iſaac Abrahami filio nupſit. Nam cùm Abrahamus in ſenectutem, annos natus ferè centum & quadraginta, compulſus, Iſaac filium iam quadrageſimũ annum agentẽ, vxorem ducere nollet regionis Chananæorũ, in qua iuſſu Dei habitabat: ſeruum maximum natu,*

quem rebus ſuis omnibus præpoſuerat, accerſitum, poſita manu ſubter femur ſuum, iureiurando obſtrinxit, non accepturum vxorem regionis illius Iſaac ipſius filio, ſed profecturum in Meſopotamiam, vnde illuc veniſſet: confirmauítque dubitanti ac diffidenti, ſperare ſe angelum Dei ducem itineris ei futurum, quo duce omnia vtrique ex animi ſentētia Dei nutu ſuccederēt. Seruus hac domini oratione confirmatus, ſumptis decem camelis, armillis & inaure, aliíſque omnibus, quæ neceſſaria erant viatori, in tam longo difficilíque itinere, ſe in viam dedit. Iam oppido, in quo Nachor Abrahami frater ſedem rerum ſuarum delegerat, appropinquauerat veſperi, quo tempore mulieres ſolitæ erant egredi hauriēdæ aquæ cauſa, ex fonte qui ibi erat, cùm ipſe quaſi diuino afflatu permotus rogauit Deū, vt Abrahamum dominum ſuum reſpiceret, faceretque, vt virgo à qua peteret aquā ex hydria, & ſibi & iumentis ſuis, ea eſſet, quā vxorem domini ſui filio præparaſſet. Nondum hæc ſecum in animo dicendi finem fecerat, cùm venit Rebecca hæc, cuius vitam ſcribimus, virgo honeſtiſsima facie, geſtans humero hydriam: hauſit aquā ex fonte. Seruus ab ea petiit aquam, & ſibi & camelis, quam libenter dantem, tacitus contemplabatur, experiundi cauſa, num ea

eſſet, quæ domini ſui filio præparata eſſet Dei benignitate. Quod quaſi auguraretur, prolatis inaure & armillis, primùm rogauit, cuius eſſet filia, & num domi patris ſibi liceret commorari: deinde cùm Bathuelis, Nachor fratris Abrahami, filiam ſe eſſe reſpondiſſet, ac locum domi patris ſui ad diuerſandum ſupereſſe, dedit ei & inaures & armillas. Illa eis acceptis, ſtatim domum paternam rediit nunciatum, quæ audierat & viderat. Interim ſeruus Deo egit gratias, quòd tam benignè feciſſet Abrahamo domino ſuo. Laban Rebeccæ frater, qui domi tum erat, cùm inaures & armillas in manibus ſororis vidiſſet, audiſsétque omnia, quæ vir ille expoſuiſſet, egreſſus, eum rogauit, vt, quod bonum, fœlix, fauſtúmque eſſet, ingrederetur: paratum enim ei eſſe, & camelis, locũ. Introductus, cùm ſtragulis camelorum detractis, eis paleæ ac fœnum à Laban præberentur, illíque apponeretur panis, negauit ſe quicquam capturum eſſe, niſi antè negotium, quod ipſi mandatum fuiſſet, ac cuius cauſa veniſſet, exponeret. Facta dicendi poteſtate, ſe ſeruum eſſe dicit Abrahami, qui valde locuples eſſet: eiúſque vxorẽ, Saram nominẽ, ſenem ſeni filiũ peperiſſe, cui nomen Iſaac impoſitum fuiſſet, & cui pater ſua dediſſet omnia. Se adactum iuriſiurandi religione, miſ-

ſum eſſe, vt vxorem illi eius filio, generis ſui ac propinquitatis, quæreret. Cæteráque omnia, quæ paulò antè narraui, expoſuit. Quæ omnia cùm Bathuel & Laban, à Deo profecta & procurata eſſe dixiſſent, cui repugnare nefas eſſet: Rebeccam oſtendentes, eam illi perducẽdi ad Iſaac fecere poteſtatem. Seruus conſequutus id quod dominus volebat, ſupplex Deo egit gratias. Vaſáque argentea & aurea Rebeccæ muneri dedit, fratríq; eius & matri munera obtulit. Tum vnà, ſumma cum voluptate epulati, cubitum omnes ierunt. Prima luce ſurgens ſeruus eos rogat, vt ſe dimittant: quod cùm illi denegarent, niſi ad decimũ diem, ſibi abeundum quamprimùm dixit, quòd Deus proſperè ſibi in via omnia euenire voluiſset. Illi cùm hoc impetrare non poſſent, accerſendam virginem cenſuerunt, & interrogandam, num cum illo vellet proficiſci. Illa interrogata, etiam ſe ire velle reſpondit. Ita ei beneprecãtes, omniáque proſperè euenire in via optantes, dimiſerunt eos. Cùm perducta fuiſſet, Iſaac in matris ſuæ tabernaculum introductam, duxit vxorem, eámque tam vehementer amauit, vt dolorem lenierit, quã morte matris ceperat. Sterilis quidẽ etiam illa fuit, ſed Iſaac precibus adductus Deus, ei, viceſimo anno pòſt, conceptum dedit. Duos autem ſimul

concepit, qui in aluo quaſi colluctabātur. Quod cùm illa ſentiret, dicebat, ſi ſic futurum erat, nihil ſibi opus fuiſſe concipere. Itaque ignara myſterij, conſulendum ſibi Deum cenſuit. Deus reſpondit, duas gentes eſſe in eius vtero, duóſque populos ex illius aluo diuidendos, & populum à populo ſuperatum iri, maiorémque minoris ſeruum futurum. Quod de populo Iſraelitico & Gentium eſt intelligēdum, ſiue de Eccleſia & Synagoga. Cùm tēpus pariendi veniſſet, inuenti ſunt gemini: qui prior prodiit, rufus erat, totúſque, pellis inſtar, hirſutus, ex eóque Eſau ei impoſitum eſt nomen: poſterior ſtatim poſt illum egrediens, manu pedem fratris tenebat, ob eámque cauſam Iacob appellatus eſt. Cùm adoleuiſſent, Eſau venator egregius euaſit, agriculturæ dans operam. Iacob autem ſimplex vitæ genus ſequutus eſt, habitās in tabernaculis. Eſau Iſaac patri charus erat, quòd ex eius venatione veſceretur. Itaque cùm ita confectus ſenio fuiſset, vt eius oculi cæcutirent, illum accerſitum monuit, vt quoniam ſenuißet, ignoraretque mortis aduentantis diem, ſumeret venabula ſua, & arcum, ac ſi quid prædæ caperet, conditum & paratum cibum, ſicuti cupere ſe ſciebat, apponeret, ex quo cùm ediſset, omnia ei læta & proſpera ante mortē precaretur. Hoc cùm Rebecca reſci-

uiſset, Iacob quem amabat, (ferè enim fit, vt ſi quos pater liberos præcipuè diligat, non eos mater, ſed alios amet) cùm iam Eſau venatũ iuiſſet, accerſit: cùm veniſſet, ei exponit quæ audiuerat: conſiliúmque dat, vt ex grege duos hœdos optimos deligat, quos cùm attuliſſet, pararet ipſa cibum, quo pater ipſius libenter veſceretur, quem edendum illi cùm appoſuiſſet, proſperè ipſi euenire optaret omnia. Iacob primùm, vt patrem verens, reſpondet, cùm Eſau frater, vt ipſa probè ſciret, hiſpidus & aſper eſſet, ipſe autẽ læuis, metuere ſe, ſi pater ipſum tractaret, atque agnoſceret, ne ſibi factas inſidias putans, non ipſi bene, ſed malè precaretur. Deinde cùm mater addidiſſet, ſi quid malè precaretur pater, id quò minus ſibi eueniret, non recuſare ſe, atque adeò optare: itaque tantùm parêret conſilio ſuo: abiit ille, attulit hœdos, ac matri dedit. Ipſa eſcam paratam ex ſenis palato & guſtatu, quem nouerat, cum pane, Iacob ad patrem perferendum tradit, cùm eum veſtibus Eſau induiſſet, hœdiníſque pellibus manus eius, collúmque texiſſet, vt illius ſpeciem aſperitate ipſa præferret. Ingreditur ille ita amictus, patrem vocat, ei quærenti, quis ſit, reſpondet ſe eſſe Eſau maiorem natu filium. Pater eum tractat: cùm tractaßet, vocem quidem & ſermonem Iacob eſſe

dicit, ſed Eſau manus. Neque hoc tãtùm facit, ſed quærit etiam, nũ eſſet Eſau filius ſuus: cúmque ſe eſſe reſpondiſſet, ei eſcam vt afferat, præcipit, qua capta ei bene diceret, ſiue bene precaretur. Cùm ei pater fauſta omnia precatus eſſet, atque in iis fratres ſuos illius ſeruos eſſe voluiſſet, diſceſſit. Vix autem abſoluto patris ſermone, Iacob egreſſus erat, cùm Eſau intrans, patrem appellat: pater quis ſit, rogat: cùm ſe Eſau maiorem natu illius filium eſſe reſpõdiſſet, Iſaac obſtupeſcit, & ſupra fidem admirans, quærit, quíſnam ille ſit, qui paulò antè, per fraudem & per inſidias, illius, vt noſtri dicunt, benedictionem præripuiſſet. Vt breue faciam, ex hoc facto, Iacob tanta apud Eſau inuidia flagrauit, vt de interficiẽdo eo iam tum cogitare cœperit. Conſilij illius tã nefarij certior facta Rebecca mater, Iacob filiũ accerſit, eique & illud exponit, & ſuadet, vt ad certum tempus, dum illius ira deferbuiſſet, & conquieuiſſet, ad Laban auunculum in Meſopotamiam fugeret, vnde eum poſtea, ſedato fratris furore, reuocaret. Quod quò commodius fieret, viro ſuo confirmat ſe nolle viuere, ſi Iacob regionis ac loci illius vxorẽ acciperet. Itaque Iſaac accerſitum Iacob filiũ, miſit in Meſopotamiam Syriæ domum Bathuelis patris matris ſuæ, vt ibi ex filiabus eius duceret

Vxorem, vetans ne ex Chananæis duceret. Patris præcepto parẽs Iacob, eò profectus eſt, duáſque Laban, Rebeccæ matris fratris, duxit vxores, quẽadmodum in eius vita diximus, & mox in vtriuſq; vxoris eius vita docebimus. Quandiu autem poſtea Rebecca vixerit, inuenire non potui: certè non eſt mãdatum diuinis literis.

Liæ vxoris Iacob vita.

LIA *Laban, fratre Rebeccæ matris Iacob, patre nata eſt in Meſopotamia. Quod de ea ſcriptum inueni ferè cum Rachelis vita coniunctum eſt: ſed tamen ſeparatim, quæ ſunt vtriuſque propria, narrabo. Lia quidem maior erat natu Rachele ſorore, ac de eius forma aliquid lippi oculi detraxerant. In Meſopotamia autem in more poſitum erat, vt maiores natu filiæ priores nuberent, & vt quæque ætate antecedebat, ita collocaretur. Cuius moris ignarus Iacob, pro Rachele ſuppoſitam ea de cauſa Liam habuit, quod quẽadmodum acciderit, commemorandum eſt. Iacob quidẽ vitandi Eſau fratris odij cauſa, cõſilio matris primùm, deinde patris præcepto, vt aliquam Laban filiam, qui Rebeccæ eius matris frater erat,*

vxorem duceret, domum illius in Meſopotamiam profectus eſt. Ibi cùm triginta dies commoratus eſſet, Laban cognita cauſa itineris, eũ ſeruire ſibi nolens ſine mercede, ab eo quæſiuit, quam mercedem exigeret. Iacob, qui Rachelem formæ cauſa ſibi dari mallebat, pro ea ſe in illius famulatu annos ſeptem futurũ reſpondit. Laban accepit conditionẽ, malle ſe dicens illi tradere, quàm alteri. Confecto annorum ſeptẽ curriculo, Iacob cum ſocero agit, vt ſibi nuptui tradat filiam minorẽ, quemadmodum promiſerat. Inuitat ille ad conuiuium nuptiarum amicos: veſperi cùm cœnati eſſẽt opiparè & lautè, vt illus tẽporibus, pro Rachele in tenebris ſuppoſita eſt Lia, quam cùm manè animaduertiſſet, fraudis ignarus, egit cum ſocero iniuriarum. Is autem nihil aliud cauſæ dixit, niſi quod paulò antè dictum eſt, non eſſe moris ibi minores natu filias ante maiores, nuptui tradere. Itaquè expleto ſeptem dierũ ſpacio cum Lia, ſe illi alteram quoque traditurum ſpopondit, dum modò pro ea ſeptem aliis annis ſeruiret. Exacta hebdomada, Rachelem ille quidem accepit vxorem, accepta conditione: ſed quoniam eam Liæ anteponebat, chariorẽque habebat, fœcũdam Liam Deus eſſe voluit, ſterilem Rachelem. Quatuor enim liberos, Ruben, Simeonem, Leui, atque Iudam

intra paucos annos peperit, eíſque hæc impoſuit nomina ex cauſis, quas in partu cuiuſque afferebat. Ruben enim, videns, ſiue videns filium, dicitur: eiúſque nominis impoſiti hanc afferebat cauſam, quòd Deus ipſius humilitatem reſpexiſſet. Simeon autem, audiens appellatur: eúmque ita vocauit, quòd audita eſſet à Deo. Leui, copulatus vocatur: quo eum appellauit nomine, quòd diceret fore, vt rurſum cũ ipſa Iacob congrederetur & copularetur. Iudas verò, idẽ quod confeßio aut laudatio, efficit: & quia in eo pariendo ſe iam Deum laudaturam eſſe dixit, ipſi nomen hoc impoſuit. Cùm hos quatuor peperiſſet, párere deſiit. Die dicto nuptiis, ei pater Zelphan dederat. Eam, cùm ſe deſiiſſe párere ſentiret, exemplo ſororis, quæ Balam ancillam ſuam Iacob viro vxorem dederat, ex qua filium Dan nomine ſuſcepiſſet, illi vxorem dedit, quæ conceptum filium edidit, quem Lia Gad, quòd in eius partu, Feliciter, dixiſſet, vocauit. Ipſa quintum peperit poſtea, hac occaſione. Ruben eius maximus natu filius, rus, cùm triticum meteretur, conceſſerat. Ibi mandragoras reperit, dedítque matri. Ea, cùm partem earum Rachel ſoror petiiſſet, denegauerat, expoſtulans cum ea, quaſi non ſatis ei eſſet, quòd maritum ipſi præripuiſſet, niſi etiam mãdragoras filij auferret, cùm illa pe-

pigit concubitum viri cum ea noctis conſequentis, pro mandragoris. Accepta conditione, viro Lia rem expoſuit veſperi rure redeunti, qui cum ea congreſsus illa ipſa nocte, ipſam grauidam reliquit, ſtatóque tẽpore ea filium peperit, quem appellauit Iſſachar, dicẽs, Deum ſibi mercedem dediſſe, quòd viro vxorem dediſſet ancillam ſuam. Sextum præterea peperit, manente etiam ſterili Rachele, eúmque Zabulon nuncupauit, quòd diceret ſecum etiam vna habitaturum virum ſuum. Filiam quoq; peperit, Dinam nomine: de qua aliquid dicendum eſt, quod matres, in cuſtodiẽda filiarum pudicitia, reddet cautiores. Iacob rediens cum vxoribus ſuis ac liberis, iuſſu Dei, ex Meſopotamia, in patriam ſuam, cùm Salem Sichimorũ vrbe tranſiſſet, aliquandiu ad oppidum habitauit. Interea Dina hæc Liæ filia, inſcia matre, egreſſa, vt loci illius mulieres videret, rapta à Sichem Hemor filio, víque oppreſſa eſt. Quæ ſi domi ipſa ſe continuiſſet, aut mater eam retinuiſſet (quãquam hoc ei vitio vertendum non puto) profectò integra ei ſua pudicitia manſiſſet. Sed ad hiſtoriæ ordinem reuertamur. Liæ & ſororis eius conſenſu, Iacob, cùm à Deo oraculum accepiſſet, in patriam ad Iſaac patrem redire conſtituerat. In itinere traiecto vado Iaboc, eminus conſpicatus Eſau fra-

trem veniẽtem, diuiſis ſuis omnibus in tres turmas, Liam ac liberos eius in ſecundo ordine locauit. Peruenerũt tandẽ in regionem Chananæorum, ibiq; Lia mortua eſt, & ſepulta in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephronis Hethæi, quẽ cum antro ipſo, ab illo Abrahamus emerat.

Rachelis vxoris Iacob vita.

RACHEL *Laban, Rebeccæ vxoris Iſaac fratrem, patrem habuit. Ea Iacob Iſaac filio nupſit, ex eóque grauida duos liberos peperit, Ioſeph, & Beniamin, illum in Meſopotamia, hunc haud procul ab oppido Bethleem, cùm Iacob relicta Meſopotamia, iuſſu Dei, in patriam reuerteretur, cuius partus difficultate & dolore mortua eſt. Sed melius eſt, ſigillatim & ordine omnia, quæ de illa mandata ſunt diuinis literis, exponere, quò facilius & planius res tota intelligatur. Iacob vetuerat Iſaac pater, partim querelis impulſus Rebeccæ vxoris, partim diuino admonitu, ne vxorem loci, quem incolebat, id eſt, Chanaan, duceret: ſed ad Laban auunculum ſuum profectus, in Meſopotamiam, aliquam illius filiam. Is præcepto patris obtemperans, cùm oppido in quo Laban*

habitabat, appropinquaſſet, de via feſſus, ad puteum quendã conſtitit, ad quem opiliones greges ſuos aquatum ſolebãt ducere: ſed niſi omnes greges conueniſſent, ſaxum quod ſemper ori putei, aquatis ouibus, admouebatur, detrudi non ſolebat. Itaque iam eò tres greges ouium conuenerant, quorum paſtores, qui alios expectabãt, cùm animaduertiſſet Iacob, propius accedens quæſiuit ex iis, vnde eſſent. Cùm reſpondiſſent, oppidi ſiue vici Haran, et rurſum rogaßet, noſſént ne Laban, & num valeret, reſponderant & ſe illum noße, & eum valere, cùm Rachelem gregem ſuum ducentem videntes, eam illi Laban filiam eße dicunt. Iacob hoc nuncio lætus, ad puteum acceßit, detruſóque lapide ex ore, adaquauit eius gregem primùm, deinde eam oſculatus cum clamore flere cœpit, indicauítque ſe Rebeccæ ſororis illius patris eſse filium. Rachel hoc etiam nuncio læta, properè domum rem iuit patri nunciatum. Laban cùm rem accepiſset, ei prodiit obuiã, illúmque amplexus & oſculatus, domum ſuam officiosè deduxit. Ibi cognita profectionis eius cauſa, quam expoſui, reſpõdit Laban, illũ os ſuum eße, & carnem. Expletíſque triginta diebus, ei dixit, quanquam propinquus ipſius erat, tamen non gratis eum fore in famulatu. Itaque eum iuſsit dicere, quid mercedis ac-

cipere velle. Erant Laban filiæ duæ, maior natu Lia, quæ lippis erat oculis, ex eóq; deformior, & Rachel minor, ſed honeſta & elegãti facie. Eam alteri anteferens, ſeptem annis pro illa ſe ſeruiturum eſſe promiſit, qua cõditione accepta, exactis annis illis ſeptẽ, egit cum Laban, vt filiam daret. Ille, conſtituto die nuptiis, inuitat amicos, die ipſo veſperi in lecto non Rachel cubat, ſed Lia pro ea ſuppoſita. Mane cùm eam lucis munere agnouiſset, quâ cum iã, Rachelem eſſe putãs, concubuiſset, partim erubuit, partim iratus, ſocerum grauiter obiurgauit, quòd ſe ita fefelliſſet. Laban nihil aliud cauſæ dixit, niſi non eſſe ibi in more poſitum, vt minores natu filiæ, ante maiores collocarentur. Quòd ſi hebdomada illa ſolenni tranſacta, ſe aliis ſeptem annis ſeruiturum ac miniſtraturum eſſe promitteret, nuptui etiam traditum iri minorẽ, quam poſceret. Spondet ilico, expletíſque ſeptem illis diebus ſolennibus, Rachelem ducit vxorem. Ea, quòd Liam præ illa cõtemneret Iacob, diu ſterilis fuit, quod cùm moleſtè ipſa ferret, inuidere cœpit ſorori, quæ iam quatuor pepererat filios. Itaque minaciter virum monuerat, niſi ſibi liberos daret, fore, vt moreretur: cùm ille ſe negauit eſſe Deum, qui eam ſterilem eſse voluiſset. Ipſa Balam ancillam, quam ei pater ſuus dederat, ſe ha-

bere dixit, qua ducta vxore, cum ea congrederetur, vt ex ea haberet filios. Bala ex concubitu Iacob concepit, peperítque filium, quem Rachel Dan appellauit, quòd ipſi Deus iudicaſſet. Dan enim hebraïcò ſermone, iudicium, ſiue iudicãs dicitur. Nec verò ancillæ filio dolor, quem ex ſterilitate capiebat maiorẽ, propter æmulam ſororem, lenitus aut mitigatus eſt. Itaque Deũ, vt non iam ancillæ, ſed ſibi liberos daret, precabatur: & tantiſper in eo officio fuit, quoad eam audiuit, dans illi filium, qui fratres ſapientia & potentia longè multúmque ſuperauit: Ioſeph dico, qui à fratribus proditus & vẽditus, in AEgypto propter diuinandi artem, qua inſtructus fuit, ſecundum locum tenuit, plurimúmque duris aduerſisque rebus cùm fratribus profuit, tum patri ſeni. Ei autem nomen illud, quod acceſſionem declarat, impoſuit, propterea quòd optaret vt ſibi Deus alterum daret. Iacob cùm Ioſeph ei Rachel peperiſset, egerat cũ ſocero, vt ſibi in patriam cum liberis, vxoribus, rebúſque omnibus, redeundi poteſtatem faceret. Ille qui agnoſceret, ac fateretur, ſibi eius cauſa proſperè eueniſſe, & amplificata eſſe omnia, dabat operam, vt eum retinere poſset. Itaque ab eo quæſierat, quid mercedis exigeret, cùm ille nihil ſe petere reſpõdit, ſed tantum vt quæ variorum colorum oues

párerent, ea pro mercede acciperet. Cùm Laban conditio placuiſset, atque Iacob arte quadam feciſſet, vt oues variorum colorum agnos ferè párerent, qua ratione locupletiſsimus euaſit: tum ex eo Laban Iacob cœpit inuidere. Quod cùm ille animaduertiſset, rem totam Liæ & Racheli expoſuit, Deíque præceptum de repetenda patria. Ita de earum conſilio & ſententia, abſente ſocero, ſe dat in viam. Rachel autem deos patris clàm furata erat. Itaque Laban cùm domũ tertio die rediens, omnes abiiſse, ac deos ſuos ſurreptos eſse cognouiſset, accitis fratribus, eos ſeptẽ diebus perſequutus eſt, atque in mõte Galaad aſſequutus, primùm cùm Iacob expoſtulauit, quòd clàm ſe abſente ita diſceſsiſset, vt nõ licuiſſet filias et nepotes oſculari, eíſq; fauſta omnia optare: deinde quòd idola ſua furatus eſset. Iacob ſe de clandeſtino diſceſsu purgauit, quòd vereretur, ne ſi adfuiſset, vi auferret filias ſuas: de furto, reſpondit, ſe quominus is apud quem inuenirentur dij eius, necaretur in conſpectu fratrum, nõ recuſare. Itaque ei ſcrutari licere. Neque enim à Rachele raptos ſciebat. Laban facta poteſtate, primùm in Iacob & Liæ, ac vtriuſque famulæ tentorium ingreſſus, ſcrutari cœpit: cùm ibi non inueniſset, intrauit in Rachelis tentorium: ipſa properè ſub ſtramento cameli deos patris abdiderat,

derat, in quo ſedens ſcrutantem patrem, nec inuenientem, rogauit, ne moleſtè ferret, quòd ſibi ipſa, quæ muliebria pateretur, nõ aſſurgeret. Sic re infecta diſceſsit. Rachel autẽ paulò pòſt, antè quàm in patriã ſuam eã Iacob perduxiſſet, in loco qui fert Bethleem cùm parturiret, dolore ipſo partus edidit ſpiritum. In dolore tamen prodeũtem filium, Benoni, id eſt, filium doloris mei, nũcupauit: cui Beniamin, id eſt, filiũ dextræ, nomẽ impoſuit pater. Sepulta eſt autẽ eodem in loco.

Mariæ Moſis & Aaronis ſororis vita.

MARIA *Aaronis & Moſis ſoror, Amram & Iochabed parentibus tribus Leuinæ ſiue Leuiticæ nata eſt. Nam Amram pater eorum, Caath Leui filiũ patrem habuit. Ea prophetis in diuinis libris appellatur, maiórque natu fuit Aarone & Moſe fratribus. Id quod ex principio libri, qui Exodus inſcriptus eſt, intelligere poſſumus. Ibi enim & Aaronem Moſe fratre maiorem tribus annis fuiſſe ſcriptum eſt, & ſororem Moſis, cùm tres mẽſes natus à matre expoſitus fuit in flumine, ſtetiſſe procul euentum rei conſiderantem, & quæſiſſe ex Pharaonis filia, quæ infantis miſerebatur,*

num vellet pueri matrem, quæ illum educaret, accerſeret: quæ quidem interrogatio maioris eſt filiæ, quàm tertium annum agētis. Sororem autem illā Moſis fuiſſe Mariam hanc, hinc ſciri poteſt, quòd & hæc ſola eius ſoror fuiſſe dicitur, & Ioſephus illā fuiſſe ſcribit. Itaque quoniam hoc facinus ad eius laudem pertinet, pluribus exponendum cenſui. Mortuo Ioſeph, qui ſecundum regem in AEgypto plurimum poterat, & Iacob patrem, fratréſque ſuos vndecim cū vxoribus & liberis, in AEgyptū ex regione Chananæorum, Dei nutu, habitandi cauſa, euocauerat, rex alius, qui Ioſeph eiúſque in maiores ſuos reges atque populū beneficia ignoraret, ob eámque cauſam, populum Dei, qui iam tum Iſraeliticus à Iacob, qui Iſrael, iuſſu Dei, appellatus eſt, dicebatur, acerbè moleſtéque ferret augeri, veritus ne cum hoſtibus ſuis cōiungeretur: conuocauerat populum ſuum, eíque hæc cùm expoſuiſset, primùm oneribus grauiſsimis illi imponendis in opere quod inſtituerat, perſuaſerat facilè impediri poſſe tam magnum numerum: deinde cùm intellexiſſet, rem minus ex animi ſui ſententia procedere, ſed hoc ipſo magis Iſraelitarum numerum creſcere, aliam rationem inire cœpit. Obſtetricibus enim imperij ſui præcepit, vt ſi mares Iſraeliticæ gentis mulieres párerent,

eos quamprimùm interficerent: ſin fœminas, ſeruarent. Cùm verò obſtetrices, quæ Deum metuerent, tã immane facinus deteſtatæ, Regi non parêrent, réque comperta, ipſe cur imperata non facerent, rogaſſet, atque illæ officioſo mendacio vſæ, Hebræorum mulieres ſibi eſſe obſtetrices, ac párere ſolitas antè quàm ipſæ venirẽt, reſpondiſsent: tum edictũ fecit æquè crudele, quo præcipiebat ſuis omnibus, vt mares omnes qui naſcerentur, in flumen proiicerent, ſeruarent fœminas. Iochabed mater huius, vt dixi, in vtero Moſem geſtans, ſtato tẽpore eum pepererat, tum cùm tam crudele edictũ promulgatum eſt. Ipſa autem, quæ quid ageret dubitaret, num propoſita certa morte, filium materno amore impulſa contra edictum regium ſeruaret, an cõtra maternam charitatem viuum proiiceret in flumen, id eſt, interficeret: in hac tanta animi dubitatione, primò edictum negligit, abdito ſeruatóque filio, quem elegantem videbat: deinde expletis poſt natum illum tribus menſibus, mortem quæ impenderet verita, cùm diutiùs eum occultari poſſe diffideret, quin Rex comperiret, init rationem, qua & ſibi parẽti edicto, & filio conſuleret. Nam contexuit ex ſcirpis ſiue arculam ſiue caueam, in qua oblita pice & bitumine poſitum puerum expoſuit in flumine, relicta hac

Maria eius ſorore, quã monuerat, vt ſi quis eum fluitantem animaduertiſſet, ipſa ſedulò & officiosè ex eo quæreret, nũ vellet, infantis matrem educandi cauſa euocaret. Maria tam pium matris mandatum curauit diligenter. Nã cùm paulò pòſt Pharaonis filia, abluẽdi cauſa, cum comitibus ſuis deſcendiſſet in flumen, animaduerſáque cauea illa miſiſſet vnam è ſuis, quò illam afferret, atque in ea, cùm illam aperuiſſet, viſo infante qui vagiebat, miſerta illius, eum eſſe ex Hebræorum pueris dixiſſet: ipſa hæc audiens, illam rogauit, velletne pueri matrem educandi cauſa accerſeret. Cùm præcepiſſet, vt iret, dici nõ poteſt, quàm læta matri tam gratã, fauſtámque rem nunciatum profecta ſit. Mater celeriter tam læta redit ad flumen, quàm triſtis paulò antè iuerat & reuenerat. Eam rogat Regis filia, num illius pueri mater ſit: verè mater ſum, inquit. Eum ergo, inquit illa, pro meo educato, & mercedem à me feres. Illa filiũ maiore cum animi lætitia recipit, quàm peperiſſet. Cùm enim eum peperit, illum paulò pòſt periturũ, vel certè ſe ipſam ſciebat: cùm autem eum recepit, & ſe & illum ſaluos atque tutos fore videbat. Cuius gaudij Maria hæc, vt mœroris ac doloris fuerat, ſocia & particeps fuit. Præclarum etiam alterum eius facinus exponam. Morte eorũ qui

primi nati erãt apud AEgyptios, coactus Pharao, populum Dei, id eſt, Iſraeliticum, emiſerat: ſed paulò pòſt moleſtè tulit illam eius liberationem. Itaque cõparato ingenti exercitu, eum inſequi cœpit: quẽ cùm vidiſſet, mari rubro diuinitus in duas partes diuiſo, per medium fugientem, ſperans eadem via ſe eos conſequuturum, ipſe & ſe & exercitum in eandem viam dederat, perſequens fugiẽtes: ſed cùm iam dimidiam viæ per mare partem confeciſſet, Deo aquas reducente, ſubmerſus eſt. Hebræi autem cùm, traiecto mari, mortuos AEgyptios ad littus maris vidiſſent, Deo ac Moſi eius ſeruo crediderunt. At Moſes, qui agnoſceret illud Dei in ſe ac populum beneficium, laudare eum, illique gratias agere cœpit, pluribus magnificiſque verbis, quæ cecinit cum viris. Maria verò hæc illius ſoror, ſumpto in manum tympano, omnibus eam mulieribus ſequentibus cum tympanis & choris, idem carmen prima, quaſi viris reſpondens canebat, & cæteræ ſuccinebãt. Anno pòſt, menſe Aprili, ad vij. Calend. Maij, ipſa, quæ tantum Moſi, vt modò expoſui, tribuebat, eum cõtemnere cœpit: nec ipſa ſola, ſed, quod magis mirum videtur, Aaron quoque, propter vxorem eius AEthiopiſſam. Dicebant enim non per eum ſolùm, ſed per ſe etiam loquutum Deum eſſe, hoc

ipſo Dei præſcriptioni obſiſtentes, qui Moſem omnibus præfecerat. Quod, vt illis temporibus neceſſe fuit, non negligendum cenſuit Deus, ſed pœna coercendum, ne ij qui in imperio aliorum ſunt, temerè murmurare aduerſaríque eis audeant. Non tamen in vtrunque animaduertit, ſed in Mariam tantùm, elephantia eam inquinans. Nam cùm iratus tres ipſos, Moſem, Aaronem, & Mariam, conueniſſet, eis præcipiens, vt ad tabernaculum fœderis venirẽt ſoli, egreſſisque illis, vocaſſet Aaronem & Mariã, quibus tãtùm inter eos et Moſem intereſſe dixit, vt ſi quis eſſet inter eos propheta, ei ipſe in viſione appareret, aut per quietem cum eo loqueretur: cum Moſe autem, quem haberet ſeruum fideliſſimum, coràm in os, eíque ſe palàm oſtenderet: itaque eos timore perterritos de illius poteſtate detrahere minimè debuiſſe: his verbis vſus diſceſsit, ſtatímque in Maria elephantia apparuit. Sed non diu morbo illo afflictata eſt, ſed tantùm ſeptem diebus. Moſes enim, qua erat humanitate & clementia præditus, Aaronis precibus adductus, ne ſibi ac ſorori ſcelus, quod imprudẽtes admiſiſſent, deputaret, Deum, vt eam curaret, precatus eſt. Quæ cùm eius præcepto ex caſtris ſeptem diebus excluſa & expulſa eſſet, incolumis reuocata eſt ſeptimo. Ita eam Deus ad tem-

pus dare pœnas ſceleris, maximè cùm eius illam atque fratrem pœniteret, quàm in perpetuum, maluit. Mortua eſt autem in ſolitudine Sin in Cades, anno quadrageſimo poſt eductos Hebræos ex AEgypto, Martio menſe, maior annis centũ viginti ſex: quo etiam in loco ſepulta eſt.

Deboræ prophetidis, ſiue vatis, vita.

DEBORA *Prophêtis, ſiue vates, vxor Lapidoth, Hebræis ius dixit, Aod Iudice mortuo: cuius rei cauſa ad eam, ſubter palmam, quæ eius nomine appellabatur, ſita inter Rama & Bethel, in monte Ephraim, ſedentem conueniebant, ſi quid inter eos interceſſiſſet controuerſiæ. Ea prophêtis ex eo dicitur, quòd ei Deus enunciauerit, liberatum iri Hebræos è poteſtate Iabin regis Chananæorũ, Barac duce, cui hoc Deus ipſe per illam & prædixerat, & præceperat. Nam cùm Iudæi, Aod Iudice mortuo, Deo neglecto deos falſos colerent, eiúſque conceſſu ob eam cauſam in illius poteſtatem veniſſent: iam eos viginti annos vehementer oppreſſerat, cùm Dei fidem implorarũt, qui eos audiẽs, Deboræ huic negotium dedit, vt Barac accerſeret, eiq; exponeret, hoc ſe illi præ-*

cipere, vt compararet decem milium armatorum exercitum ex tribu Nephthalina & Zabulonia, quem ad torrentem Ciſon educeret, quò ipſe Siſaram Iabin regis exercitus ducem, cum nongentis falcatis curribus ſuis, & ingenti multitudine, quam ſecum haberet, perductū ei traditurus eſſet. Barac Abinoen filius, qui Lapidot etiam nōnullorum ſententia dicebatur, Deboræ hoc Dei ad ipſum mandatum narrāti, reſponderat, ſe, ſi illa ſecum proficiſceretur, profecturum eſſe: ſin minus, non eſſe profecturum: cùm ipſa, vt vates, ſe quidē cum eo iturā prædixit, ſed illi non tributum iri victoriā: fore enim vt Siſara mulieri traderetur, Iahel ſignificans, vt mox docebimus. Cōtractis copiis Barac vnà cum Debora in montem Thabor profectus eſt, quod cùm Siſaræ nunciatum eſſet, mouit ad torrentem Ciſon: túmq; rurſus Dei ſpiritu permota Debora, Barac eum diē eſſe dixit, quo Siſaram cum ſuis omnibus ipſi Deus, qui eius dux eſset, traderet: itaque iam deſcenderet. Illo ex monte cum ſuis deſcendente, ita Deus Siſaram, eiúſque exercitum perterruit, vt exercitus dilapſus ſit: quem perſequutus Barac, ad vnū interfecit: ipſe autem ex curru deſiliens, pedibus fugerit. Fugiēti Iahel Haber Cinæi vxor ei prodiit obuiā, rogans eum, vt ad ſe veniret, neque timeret.

In tentorium illius ingreſsus, & opertus pallio, ei præcepit, vt ſtaret ad oſtium tabernaculi ſui, & cùm aliquis præteriens quæſiſſet, nunquis ibi eſset, non eſſe reſponderet. Illa autem cùm eum ſomno graui oppreſſum intelligeret, illum clauo tentorij malleo clàm & ex inſidiis adacto per tempora interfecit. Barac ex bello Siſaram, vt ducem belli, magnis itineribus contentóque curſu ſequebatur. Eum cùm Iahel ex tabernaculo ſuo animaduertiſſet, egreſſa obuiam, monuit, vt quem quæreret, videret. Ille cùm eum ita mortuum aſpexiſſet, ad Deboram lætus hoc nunciatum quamprimùm ſe contulit, qui cõiuncti, non tam corporibus, quàm animis, Deo gratias egerunt, ordine canentes, ac narrãtes & prælij nouum genus, & victoriæ, nominatim expreſsis tum ducibus exercituum, tum tribubus, tum Iahel, ſumma cum & laude eorum qui vicerant, & eorum qui victi fuerant, dedecore ac vituperatione. Hortabatur enim ipſa primùm Iudæos omnes, qui vltrò ac ſponte vitam ſuam periculis pro patria obieciſſet, vt Deo gratias agerent: deinde reges ac principes, vt audirent, ac intelligerẽt, ſe eſſe quæ Deo caneret, laudémque tribueret Deo, quẽ Iudæi colerent: tum auerſa ad eum oratione, eius laudes canebat, dicebátque, cùm ipſe ex Seir exiret, tranſirétque per

regiones Edom, terræmotum factum eſſe, cœlúmque ac nubes effudiſſe aquam: cùm montes omnes, tum Sinai fluxiſſe. Samgar filij Anath, & Iahel temporibus neminem auſum eſſe iter facere viis publicis, & qui iter faciebant, deuia itinera ſequutos eſſe: in Iudæa defuiſſe viros fortes, dū ipſa ibi exorta ſit tāquam mater. Deum & noua bella delegiſſe, & diruiſſe portas hoſtium: cùm interea nec ſcutum nec haſta viſa ſint quadraginta Iudæorum milibus, ſe ex animo duces Iudæorum amaſſe. Rurſus eadem repetens, hortatur eos, qui ſe vltrò in diſcrimen obtuliſſent, vt Deum laudent, & qui in equis fulgentibus ſedent, & qui incedunt, vt loquantur. Tum pro ſuo iure & poteſtate præcipit, vt vbi ſunt collium currus, hoſtiúmque exercitus deletus eſt, ibi Dei præclara facinora narrētur: hinc ſe ad laudandum Deum hortatur, & Barac ad capiendos captiuos ſuos. Deinceps laudes Dei, quas in hoc prælio conſequutus eſt, canit, eáſque cum viris fortibus communicat. Ait enim, populum, qui reliquus erat, ſeruatū eſſe, ac Deum per viros ſtrenuos dimicaſſe: eorum qui tribus Ephraiminæ erant, opera deleuiſſe in Amalec hoſtes: & ſecūdū eos, illorū qui Beniaminæ erāt, fortitudine Amalecitas: ex Machir deſcendiſſe duces, & ex tribu Zabulonia, qui exercitum ad

bellum educerent: duces Iſſacharinæ tribus ſecum fuiſſe, & Barac ſequutos eſſe veſtigia, qui ſe maximis obieciſſet periculis, cùm interim Rubenienſes Iordane diſiuncti nō adfuerunt: ocio torpentibus trans Iordanem Galadinis, & Danienſibus cum nauibus rem habentibus, Aſeriníſque littus maris incolētibus, Zabulonianos ac Nephthalinos vitam ſuam in Merome obieciſſe diſcrimini. Veniſſe in eos infeſtis animis reges, ac bellum geſſiſſe: regéſque Chanaan pugnaſſe in Tanach ad aquas Mageddo, & tamen nihil prædæ egiſſe & abſtuliſſe. Ex cœlo aduerſus eos dimicatū eſſe, ſtellas pugnaſſe contra Siſaram manentes in ordine & curſu ſuo. Torrentem Ciſon cadauera eorū excepiſſe: vngulas equorum decidiſſe, fugiētibus magno impetu, & in præceps fortiſſimis hoſtium corruentibus. Tum vult præcepiſſe angelum Dei, vt regioni Merozæ eiúſque incolis omnes malè precarentur, quòd Deo eiúſque ſeruis auxilium non tuliſſent: hortatur omnes, vt laudent Iahel præter mulieres, quæ Siſaræ aquā petenti lac dediſſet, eúmque clauo per tempora trāsfixo occidiſſet. Extrema oratione optat, vt ſic pereāt omnes Dei hoſtes: qui autem eum amant, ſolis inſtar fulgeant. De eius autem morte ac ſepulchro, nihil inueni ſcriptum.

NOEMI VITA.

NOEMI Vxor Elimelech. Ea cum viro ac duobus liberis fame coacta, cùm Iudices præeſſent, Bethleem Iudæ reliquit, vitandæque eius cauſa, in regionem Moabitarum profecta eſt. Ibi mortuo Elimelech, de illius conſilio liberi duo, Mahalon & Chelion, vxores Moabitanas duxerãt, quarum altera Orpha, altera Ruth vocabatur. Cùm autem liberis quoque amiſſis decennio poſtquàm eò migrauerãt, vbertatem quaſi poſtliminio rediiſſe in patriã Dei benignitate accepiſſet, conſtituit eò ſe recipere cum vtraque nuru ſua, iámque aliquantum itineris confecerant, cùm ipſa eas oſculata monuit, vt domum matris redirẽt, optans illis fauſta omnia, atq; adeò rogans Deũ, vt eas humanè haberet, ſicuti & ſe & viros mortuos, liberos ſuos, habuiſſẽt, darétq; illis viros, quibuſcũ ex virtute in pace viuerẽt. Illæ autem, quæ ſocrus in ſe benignitatem, etiam mortuis viris ſine liberis, ſenſiſſent ac ſentirent tantam, vt matris amorem requirendum ſibi minimè putarent, cum clamore flere cœperant, eíque dicere, ſe cum illa in patriam ſuam profecturas eſſe: cùm ipſa rurſus monere cœpit, vt reuerte-

rentur: neque enim eſſe, cur ſecum venirent, præſertim cùm iam filios habitura non eſſet in vtero, ex quibus viros ſperare poſſent: ſe enim iam ſenectute confectam eſſe, nec aptam coniugio: quòd ſi illa ipſa nocte concipere & párere poſſet filios, expectaréque vellent, dum illi ad pubertatis annos perueniſſent: tamen eas antè anus futuras, quàm nuberent. Itaque ne hoc facerent, præſertim cùm eorum mœror & luctus ipſius dolorem augerent, liberorum ſuorum, virorum eorum, quos ipſis Deus ante tempus eripuiſſet, recordatione. Rurſum illæ, quæ ſocrus ita obſtinatum animum viderent, magna voce edita, flere cœperunt. Orpháque oſculata illam diſceſſit. At Ruth nullis nec precibus, nec monitis adduci potuit, vt abiret, ſed eam officiosè ſequebatur, cùm ipſa admonere cœpit, vt propinquam ſequeretur, quæ ad populum ſuum, & ad deos ſuos rediret. Rogauit tum illa ſocrum, vt iam ſibi ne aduerſaretur, aut ſuaderet, vt ſe deſereret & abiret. Se enim quocũque proficiſceretur, profecturam eſſe, & vbicunque habitaret in poſterum, eſſe habitaturam: populum eius, populum ſuum eſſe, & illiůs Deum, Deũ ſuum: quæ terra eam morientem exceptura eſſet, in ea ſe eſſe morituram, accepturámque ſepulturæ locum. Se optare ſibi mala omnia, ſi quid præter

mortem, ſe ab illa vnquam diſiungeret. Ex his Noemi intelligens ſe nihil proficere, ei iam obſiſtere deſtitit. Clariſsima hæc exempla prodita ſunt omnibus, mutuæ ſocrus & nurus charitatis, nullis etiam extãtibus liberis, viríſque mortuis: ex quo intelligi par eſt, maiorem extantibus illis omnibus & in illis futuram fuiſse, & in omnibus earum exemplo eſse oportere. Vt igitur ad propoſitum reuertar, Noemi, cùm nurui iam fruſtra ſe ſuaſuram intelligeret, deſtitit: profectáque eſt cum illa Bethleem. Quò ſimul atque peruenerunt, celeriter apud omnes fama aduentus earum percrebuit, dicebántque mulieres: Hæc eſt illa Noemi. Quibus ipſa vetabat, ne ſe Noemi, id eſt, pulchram, appellarent: ſed Mara, id eſt, amaram, propterea quòd amarore completa fuiſset à Deo, qui ipſam, quæ plena abiiſset, inanem reduxiſset. Redierant autem tum, cùm primùm hordea metebantur. Itaque Ruth ſibi ac ſocrui ſeni paranda, quæ ad victum pertinebãt, cenſebat, conceſsúque illius ad agrum Booz locupletiſsimi hominis diuina prouidentia venit, vt ſpicas, ſi quas meſſores imprudentes, vt fit, reliquiſsent, colligeret. Booz autem cùm eò veniſset ad meſsores, intellexiſsétque ex eis, illam eſſe Moabitidem, quæ Noemi, quam Elimelech eius propinquus duxiſset vxorem, comitem ſe

itineris præbuiſset: eis præcepit, vt de induſtria ſpicas relinquerẽt: Ruth autẽ vetuit, ne ad alias ſegetes diuerteret. Ita factum eſt, vt multò plura collegerit quàm ſperaſſet, quæ cùm ſocrui attuliſset, ipſa admirata ſpicarum multitudinem, cùm quærendo cõperiſset, Booz in eam humanum & benignum extitiſse, optare cœpit ei à Deo fauſta omnia euenire, qui eandem, qua in viuis vſus eſset, in mortuis coleret, retinerétque benignitatem. Ei etiam indicauit, Booz ipſum iure propinquitatis ad ſe attinere, cùm illa dixiſſet, ſibi ab illo præceptum eſse, vt tandiu ſe cum ipſius meſsoribus cõiungeret, dum ſegetes omnes collectæ eſsent. Quæ eius verba ipſam impulerunt, vt illi ſuaderet aut præciperet, vt cũ Booz puellis ſemper ſe iũgeret. Collectis autẽ frugibus, acceperat Noemi, Booz certo die aream hordei conſtituiſse purgare. Quod commodum futuris nuptiis intelligens, præcepit Ruth, vt eò ſe conferret veſtibus elegantioribus amicta, clámque ad illum poſt captũ cibum accederet, qui ipſam admoniturus eſset, quid agere deberet. Parentem Ruth ſocrus præceptis, Booz ad pedes ſuos ſentiens, monet ſe quidem propinquum eſse, ſed quoniam ipſo alter eſset propinquior, poſtridie, ſi eam accipere nollet, ſe illam accepturum vxorem eſse: datíſque ſex hordei modiis dimittit,

monens, videret ipſa, ne quis ſe eò veniſse reſciret. Noemi cùm hæc narrãtem nurum audiſset, monet expectãdum eſse, dum, quem res exitum habitura eſset, viderẽt. Booz autem cùm Bethleem rediiſset, ſedit ad portã, animaduerſoque illo, quem ſe propinquiorem Ruth dixerat, acceſsiuit ac ſeſsum recepit, adhibitiſque decem viris ex ſenioribus vrbis expoſuit, Noemi quæ reuerſa eſset ex regione Moabitarum, partem agri Elimelech, vtriuſque propinqui, velle vendere, quod ei illis præſentibus narrare voluiſset, vt ipſe, qui vnus eſset propinquior, iure propinquitatis, ſi vellet, emeret. Ille ſe emere velle dixerat, cùm Booz eum monuit, ipſi, cùm emiſset, ducẽdam eſse Ruth vxorem, quæ demortui fuiſset. Quæ Booz poſterior oratio fecit, vt ille coram ſenibus, ſe de ſuo iure decedere diceret. Horum omnium teſtes & decẽ illos, & vniuerſum populum ſe habere Booz dixerat, & emptionis, atque coniugij, cùm omnes, non ſolùm ſe teſtes eſse clamarunt, verùm etiam precati ſunt Deũ, vt Ruth eius vxori liberos daret, ſicuti Racheli & Liæ dediſset. Ita ductam Ruth Booz amauit, ex eáque ſuſcepit puerum, Obed nomine, qui Iſai ſiue Ieſsæ Dauidis patrem procreauit. Huius rei factæ certiores mulieres, ad Noemi adeuntes, coram ei gratulabantur, Deúmque laudabant,

dabant,

dabant, qui non paſſus eſſet eius familiam penitus deleri: ſed ei dediſſet generis propagatorem, qui eius ſenectuti præſidio eſſet. Ipſa porrò puerum præ gaudio in ſinu ſuo reponens, nutricis ac gerulæ officio fungebatur.

Annæ matris Samuëlis vita.

ANNA *altera vxor Elcanæ Ephrathæi, tribus Leuiticæ, diu ſterilis fuit. Quod cùm ei vxor altera, Phenenna nomine, vt probrum obiiceret, cùm ſemper, tum vel maximè quotannis ſtato tempore, quo Elcana vtrãque cum Phenennæ liberis in Silo, vbi tum arca Dei locata erat, venerationis religioníſque cauſa ducebat: ipſa flebat, nec capiebat cibum. Itaque illam vir ſuus, cùm hoc cum maximo dolore (eã enim valde amabat) animaduerteret, cur fleret triſtis, nec cibum caperet, ſemper rogabat. Sed tandem aliquando prætereà, hoc eius conſolãdi cauſa addidit, ſe ab illa pluris fieri oportere, quàm decem liberos. Ipſa tum his viri verbis aliquantum recreata, cùm cibum cepiſſet, ſedẽte Heli ſacerdote in ſella ante poſtes tabernaculi, animo triſti cùm eſſet, cum lachrymis multis Deum precata eſt, voto nuncupato, ſi ipſam triſtem famulam ſuam ille reſpexiſſet, nec ipſius*

oblitus eſſet, ipſiq́ue dediſset marẽ, fore, vt eum illi toto vitæ ipſius tempore conſecraret, neque caput eius raderetur. Hæc autem ſecum in animo dicebat, nec vox eius penitus audiebatur. Itaque Heli, qui hoc ipſo vinolentam eam exiſtimaret, ab ea quærere cœperat, quouſque ebria eſſet, ac monere eam, vt vinũ, quo obruta eſset, edormiret: cùm ipſa, ebriam ſe eſſe negauit, bibiſſeq́ue vinum, aut quicquam eorum quæ ebrios facere ſolerent. Proinde ne de ſe famulam ipſius perinde, vt de liberis malorum exiſtimaret: ſe enim magnitudine doloris ac mœroris coactam, ad illud tẽpus verba feciſse. Aequior tum Heli factus, optauit, vt Deus ei, quod petierat, concederet. His ita geſtis, rediit Anna cum viro ſuo domum, concepitque paulò pòſt, ac peperit puerum, cui nomen Samuelis impoſuit, quòd eum à Deo poſtulaſſet. Elcana autem quotannis ante ablactationis tempus in Silo ſolennem profectionem ſuſcipiebat, immolandæ hoſtiæ gratia, eóque ſuos omnes ducebat, præter Annam, quæ vtebatur excuſatione, quòd nondum ablactatus eſſet: quã ille non ſolùm accipiebat, verùm etiam Deum, vt promiſſum faceret, precabatur. Peracto verò ablactationis tempore, eum ipſa cũm hoſtiis illuc portauit, atque Heli obtulit, indicãs ei, ſe illam eſſe mulierem, quæ non ita pridem

in conſpectu ipſius Deum rogaſſet, vt ſibi puerum daret, quem dediſſet, vt videbat. Itaque eum ſe Deo per omne vitæ ipſius tempus conſecrare dixit: eíque multis verbis egit gratias. Dicebat animum ſuum gaudio planè diuino geſtire, Deíque benignitate elatam eſſe gloriam ſuã: apertum eſſe iam os ſuum, quod anteà occluſum eſſet, propter obiectam ſibi ſterilitatem ab inimicis, quòd lætata eſſet accepto à Deo tam ſingulari beneficio. Non eſſe quemquam ita ſanctum, vt ſit Deus, neque alium præter eum verè eſſe, nec æquè fortem & potentem. Itaque ne iam multa magnificáque verba facerent ij, qui gloriarentur, & ea quæ anteà proferebant, ne ex illorum ore exirent: præſertim cùm Deus ſciret omnia, etiam cogitationes. Arcũ enim fortium hominum ſuperatũ eſſe, & imbecilles fortes eſſe factos. Eos qui ſatiati prius erant, locaſſe operas ſuas pro pane, & ſatiatos eſſe eos, qui fame enecti erant, dum ea quæ ſterilis erat, peperiſſet plurimos, & quæ multos liberos habebat facta eſſet imbecillis. Deum vitam dare, & adimere: ad inferos demittere, atque inde reuocare, Eundem diuitias dare, & paupertatem: efferre, & affligere. Efferre ex puluere egentẽ, & ex ſtercore pauperem, vt ſedeat cum principibus, ſoliúmque gloriæ plenum occupet: quan-

doquidem eius ſunt vertices terræ, & in eis orbem locauit. Eum pedes bonorum ſeruaturum eſſe, malos autem manſuros eſse in tenebris: neque enim quëquam hominum per ſe, víque ſua, firmum futurum. Fore, vt Deũ aduerſarij ipſius metuant, tactíque de cælo intereant. Eum fines terræ iudicaturum, daturúmque imperium regi ſuo, & elaturum Chriſti ſui gloriam. His verbis cùm Deum laudaſset Anna, relicto Samuele, domum rediit. Quoniam autem in eius vita, quàm magnus clarúſque fuerit & iudex, & propheta, id quod ad matris laudem pertinet, longo ſermone docui: non neceſſe putaui, hoc loco eadem dicere. Hoc autem exponendum exiſtimaui, Annam matrem eius ipſi puero contexuiſſe cõfeciſséque tunicam, quam quotannis in Silo afferebat, cùm ſolennis hoſtiæ cauſa eò ſtatis diebus cum viro proficiſcebatur. Heli autem ei bene precabatur, optabátque, vt Elcanæ Deus daret liberos pro Samuele, quem ei conſecraſſet. Hinc factum eſt, vt poſteà Dei benignitate filios tres, duáſque filias páreret.

Michol vxoris Dauidis vita.

MICHOL *Saulis primi regis Iudæorum filiam, Dauid iam rex à Deo creatus, & à*

Samuele conſecratus, hac occaſione, patris conceſſu & cõſenſu, duxit vxorem. Saul, cùm Dauide, interfecti à ſe Goliæ gigãtis caput Hieroſolymam, quaſi ſignum victoriæ, geſtante, mulieres quæ ex cunctis regni vrbibus ipſi obuiam prodibant, choróſque agebant cum tympanis & ſiſtris, præcinentes audiret, Percuſsit Saul mile, & Dauid decem milia: adeò acerbè moleſtéque tulit carmen illud earum, vt dixerit, nihil ei reſtare, niſi regnum, ex eóque die deinceps nõ benè in eum animatus fuerit. Itaque cùm poſtridie Saulem malus Dei ſpiritus occupaſset, atque in regia vaticinaretur, Dauide canente fidibus, vt ipſius malum leniret, lanceam iaculari cœpit, qua illum confoderet, ídque feciſſet, niſi ſemel atque iterũ, ictum loci mutatione vitaſset. Et quoniam eum ſuſpectum habebat, proptereà quòd Deum cũ illo eſse, deſerto ſe, videret, eum à ſe abegit, tribunúmq; mile militibus præfecit. Quo in munere cùm ita ſe gereret, vt & Deus cum ipſo eſset, & à cuncto populo amaretur, Saul qui hoc cerneret, ſibi ab eo metuere cœpit. Itaque Merob filiã ſuam maiorem ſe ei nuptum daturum eſſe promiſit, dummodo ipſe virum ſe præſtaret in Dei bellis, hoc ipſo cõſilio ſuo Palæſtinis illum interficiendum volens obiicere. Dauid autem, etſi ſubmiſſè ſe gerẽs, cùm indignum

ſe Regi, qui eius gener fieret, dixiſſet, cum ſpe filiæ accipiendæ, eius cõfirmatione adductus, ad bellum ſe contulerat, tamen eam cõſtituto tempore non accepit, ſed Hadriel Molathita, patris voluntate. Ita deluſus falſusq́ue ſpe ſua, animum ſuum ad Michol minorem natu adiecit, eámque valdè amauit. Hoc Sauli, cùm ei nunciatum fuiſſet, placuit, miſitq́ue qui Dauidi hãc ſuam ſententiam exponerent. Ille generis obſcuritatem afferens, ſe tenuem, atque adeò inopem eſſe reſpõderat, cùm ex legatis hoc audiens rex, illis dedit negotium, vt Dauidi renunciarent, ſe non egere alia donatione ad futuras nuptias, niſi quinquaginta præputiis Palæſtinorum, ſperãs, ſi cum Palæſtinis eius rei cauſa bellum gereret, fore, vt occideretur. Dauid tamen ſiue gnarus, ſiue ignarus tam ſceleſti Saulis conſilij, accepta conditione paulò pòſt eduxit milites ſuos, cæſisq́; Palæſtinis ducentis, eorum præputia ei attulit. Ita Michol filiam ſuam Rex Dauidi nuptũ dedit. Ea viciſſim Dauidem amauit, quod re ipſa in certo mortis diſcrimine comprobauit. Nam cùm Saul eius pater, Dauidem virum, partim ob illius in eum amorem, ita ſuſpectum haberet, vt quoad vixit, æternas inimicitias cum illo ſibi gerendas cẽſeret, ſtatímq; daret negotium Ionathæ filio ſuo ac ſuis, vt eum interficerent, ac Ionathæ

verbis placatus, eum in regiam reuocaſſet, nec ita multò pòſt malo ſpiritu furiiſque agitatus, lancea confodere conatus eßet, cuius ictu declinato, ille noctu fuga elapſus, domũ ſe recepißet, quò idem ſtipatores miſit eadem nocte, qui arreptum prima luce interficerent: Michol hæc eius vxor, conſilium & præceptum illud patris viro enuncians, auctor ei fuit, vt per feneſtram ſe demitti pateretur. Cúmque ſtipatores illi domum ingreßi, vbi eſſet Dauid, quærerent, ipſa ægrotare eum reſponderat, cùm illi reuerſi hoc renunciatum, à Rege iterum mißi ſunt, qui illũ in lecto comprehenſum, interficiẽdum ad ipſum perducerent. Michol dum nuncij eunt & redeunt, ſtatuam in lecto viri locarat, pellibúſque caprinis eius caput obuoluerat, ſuperiecto ſtragulo. Quem eius dolum patefactũ ſibi, cùm Regi patri aperuiſſent, ille accitam filiam acerbè obiurgauit, quærens, cur ſe ita deluſiſſet, inimicúmque ſuum paſſa eßet elabi. Ipſa alia excuſatione vſa non eſt, vt patris in ſe iram placaret, niſi Dauidem minatũ ſibi eſſe mortem, ſi retinuiſſet. Eam poſteà illi contra ius diuinum ademptam, inimicitiis impulſus, Phalti cuidam Laïs filio Gallimano tradidit, quã nõ ante ipſum mortuum recipere potuit. Quod quẽadmodum acciderit, exponendum eſt. Sic enim inuitam illam Dauidi

ereptam eſſe à patre ſuo intelligemus, cùm, ſi non fuiſſet inuita Pſalti tradita, Dauidis regis iram metuens, nunquam ad eum quaſi poſtliminio redire voluißet. Abner quidem Ner filius, dux Saulis exercitus fuit. Is interfecto domino, Iſboſeth eius filium annos natum quadraginta in Iſraele regem cõſtituit, quod regnum biennium occupauit, quo Dauid Iudæ tantùm regia poteſtate præfuit. Pellex autem fuerat Sauli Reſpha nomine, cum qua Abner cõgreſſus eſt: quod cùm Isboſeth reſciuiſset, illum obiurgauit. Abner, id acerbè ferens, reſpondit, niſi ipſe fuiſset, eum Iſraeli minimè præfuturum fuiſſe. Itaque ſe deinceps coniuncturum cum Dauide, eiúſque amicitiam eſſe initurum. Hoc ſuum conſilium Abner Dauidi ſignificauerat, ſed ille ei renunciauit, ne ſe viſeret, niſi Michol vxorem ſuam adduceret. Quod quò commodiùs faceret, miſit ad Isboſeth, qui cum eo agerent, vt illam remitteret. Ille ademptam Phatieli remiſit, qui eam cum lachrymis ſequutus eſt, quoad Abner ipſe qui eam ducebat, ei imperauit, vt rediret domũ. Ex quo intelligi poteſt, id quod paulò antè dixi, Michol inuitam Phatieli traditam fuiſse, quæ tanta cum voluntate, flente etiam marito, reuerſa ſit. Ex ea autem liberos nullos Dauid ſuſcepit, ſupplicij cauſa, quòd eum ſaltantem nu-

dato corpore ante arcam Dei, cùm illã domum ſuam portandam curaret, ſpreuiſset.

Abigail vxoris Dauidis vita.

ABIGAIL *prudentiſsima & honeſta facie fœmina, primùm Nabad, qui genus à Caleb duxerat, deinde illo mortuo Dauidi nupſit. Quod quemadmodum euenerit, dicendum eſt. Nabad quidem ſolitudinem Maon incolebat, vir locuples, quippe qui ouium tria milia, & capras mile haberet. Is tondebat oues in Carmelo: quod cùm Dauid, qui tum vitans Saulis furorem in ſolitudinem Pharan ſe receperat, reſciuiſset, miſit decem ad eum, qui primùm ſuo nomine illi ſalutem dicerent, optarentque proſpera & fauſta omnia: deinde commemorarent ſua in ipſius opiliones beneficia, quandiu in illa ſolitudine greges eius pauiſſent: poſtremò eum rogarent, vt ad ſe eſculenta & poculẽta, quaſi relaturus gratiã, mitteret. Quæ cùm decem illi expoſuiſſent, Nabad contemnere cœpit Dauidem, illiúſque comites ſe ignorare dixit, & prætereà exortos eſſe ſeruos, qui dominorum conſpectum fugerent. Itaque nec carnes pecorum quæ occidiſſet, tonſoribus ſuis, nec panem, nec vinum ſe dempturum eſſe, ac daturum iis, quos ignoraret.*

Dauid hæc illius verba cùm legati renunciaſſet, ita moleſtè tulit, vt ſtatim quadringentos gladiis accinctos, ducentis ad ſarcinas relictis, in eum infeſtis animis eduxerit. Dum hæc gerũtur, Abigail hæc Nabal vxor, quæ facta eſſet certior à famulo ſuo, quæ extitiſſent officia Dauidis in ipſum & ſocios, in ſolitudine, cùm greges paſcerent, quámque durum reſponſum vir ſuus legatis ea illi commemorantibus, réſque ad victum pertinentes petẽtibus, dediſſet, celeriter aſinos ſterni, et eos onerari quinque arietibus coctis, ducentis panibus, duobus vtribus vini, aliíſque rebus ad victũ neceſſariis, iubet, atque pueros cum eis antecedere. Ipſa in aſino ſedens, ſequebatur: iámque ad radicem montis peruenerat, cùm Dauid cum ſuis deſcendens ei factus obuiam, exprobrauit primùm ſua in virũ illius beneficia, deinde optauit & ſibi & ſuis mala omnia, ſi quid eorum quæ illius eſſent, reliqui faceret. Tum Abigail deſcendens ex aſino proiecit ſe ad pedes Dauidis, rogans eum ne impetu animi ferretur in Nabal, qui ſe ſtultum conſonans nomini ſuo præſtitiſſet, ne ſanguinem effunderet, neque iniurias ſuas vlciſceretur. Sic enim fore, vt & Deus ipſum ſeruaret, ſi qui in eum impetum facerent, & cùm ab ipſo Rex Iſraelis conſtitutus eſſet, non caperet animo dolo-

rem ex recordatione effuſi ſanguinis ſui, quæ non eſſet in culpa, cùm eius legatos nõ vidiſſet. Itaque acciperet munuſcula, quæ libenti animo ipſa deferret, ac ſui cùm rex eſſet, meminiſſet, ſeque bonis afficeret. Dauid audita eius oratione, tantùm abeſt, vt vel eius munera reſpuerit, vel eam & virum illius interfecerit, vt acceptis muneribus, gratias ei egerit, quòd prohibuiſſet, ne ipſe cædem faceret, vlciſceretúrque iniurias ſuas. ita eam dimiſit. Ipſa cùm domum rediiſſet, eo die hæc omnia viro non expoſuit, quòd eum ebrium videret: prima autem luce, cùm ea illi narraſſet, adeò acerbè tulit, vt emortuum ſit eius cor vi doloris: decimóque die, Dei nutu mortuus eſt. Quod cùm Dauidi nunciatum fuiſſet, miſit, qui eam ad ſe ducerent, vt vxorem duceret. Ipſa ſe indignam tanto honore & dicens, & ſentiens, ſed dignam quæ illius pueris pedes ablueret, in aſina ad Dauidem cum quinque pediſequis venit. Ita ei Abigail paulò pòſt nupſit, cùm iam Michol Phaltieli eſſet tradita. Ex ea Dauid in Hebron, vbi ſeptem annis, ac ſex menſibus regali poteſtate Iudæ præfuit, Cheleab, qui etiam Daniel dicitur, ſuſcepit.

Bethſabee vxoris Dauidis vita.

BETHSABEE, *etſi turpi iniuſtáque de cauſa Dauidi nupſit, tamen in ſanctis fœminis ha-*

benda eſt, præſertim cùm vita eius poſterior honeſtè iuſtéque acta, ſuperiorem culpã correxiſse videatur. Ego vtrunque narrare conſtitui, quò faciliùs res intelligatur. Igitur Bethſabee Eliã, ſiue Amiele, patre nata eſt. Ea eleganti forma erat, primúmque nuptum data eſt Vriæ Hethæi, deinde Dauidi, cùm iam Iſraeli atque Iudæ regia poteſtate præeſſet, hoc modo. Dauid in regia à pomeridiano ſomno inambulans, Bethſabee hanc, quam ignorabat, ſe abluentem domi ſuæ è regione viderat, eiúſque forma captus & illectus, miſit, qui primùm quænam eſſet, quærerẽt, deinde eam adducerent, cùm renunciatum eßet, eam eſſe Bethſabee Eliam filiam, Vriæ Hethæi, qui tum in caſtris erat, vxorem. Cùm veniſset, cum ea concubuit, eóque concubitu cõcepit mulier: quod ipſa, cùm rediiſſet domum, ſentiens, regi ſignificauit, fortaßis ne re comperta, ex lege lapidibus obrueretur. Rex, ne ex ſe grauidata videretur, quamprimùm ex caſtris Vriam eius virum euocat, vt eum ad vxorẽ mitteret, atque ita conceptus filius illius eſſe diceretur. Sed contrà atque ſperabat, Deo ita rem procurante, accidit. Nam etſi cùm venißet, primùm cohortatione, deinde etiam iuſſu, miſſurum ſe illum ad vxorem ſperabat, tamen nunquam hoc ei, etiam de induſtria bene poto, perſuadere potuit. Affe-

rebat enim ſemper, nefas eſſe, nec licere ſibi in lecto molli cubare, cùm illius exercitus humi iacêret. Itaque ſcelus ſcelere cumulat, Vriæ dat epiſtolam ad Ioab ducem exercitus perferēdam, in qua ſcriptum erat, vt eum in loco locaret, in quo interficeretur ab hoſtibus. Eò interfecto, Bethſabee cùm nuncius mortis viri perlatus eſſet, eum luxit. Cùm eluxiſſet, accerſiuit eam Dauid, & duxit vxorē. Expletis autem menſibus conſtitutis partui, filium peperit, qui ſeptimo die, ſupplicij ſtupri cauſa, vt Deus per Nathan prophetam regi prædixerat, exceſſit è vita. Ex eius morte Bethſabee maximum animo cepit dolorem, quam rex conſolatus eſt. Ea paulò pòſt alterum peperit, Salomonem nomine, quo nemo vnquam homo ſapientior fuit ad tempus, nemo prudentior. Dauid Bethſabee promiſerat, hunc regia poteſtate ſecundum ſe eſſe præfuturū. Itaq; cùm Adonias, eius ex Haggith vxore filius, palàm & publicè poſt mortē patris regnum ſe adminiſtraturū dixiſſet, nec eum ille propterеà obiurgaſſet: ipſa, auctore Nathan propheta, qui eam ſequuturus, & ſermonē quem inſtituiſſet abſoluturus erat, ad regē ſenectute cōfectum adiens, ei hoc in mentem redegit, cuius tamen voluntati obſiſteret Adonias ipſo inſcio, qui iam regnaret, mactatis bubus & arietibus, inuitatis

liberis regiis præter Salomonem. Quod ſi fieret, fore, vt ipſa & Salomon in obſcuris, infimæque conditionis hominibus haberentur. Itaque dum viueret, indicaret Iſraelitis omnibus, qui hoc ab illo expectarent, quem potiſsimùm vellet ſibi in regnum ſuccedere. Nondum finem dicendi fecerat, cùm Nathan, ſicuti pollicitus fuerat, adeſſe regi nunciatur. Introductus, quæſiuit ex eo, cùm iam Bethſabee ſeceſsiſſet, ne res ab eis compoſita videretur, num Adoniam vellet, poſt ſe, imperium tenere, ac ſedere in ſolio ſuo. Eum enim illo ipſo die boues & arietes immolaſſe, inuitaſſéque omnes regios liberos, præter Salomonem, vniuerſóſque principes, præter ſe & Sadoc, atque Banaïam Ioïadæ filium. Num hæc omnia iuſſu eius facta eſsent, nec ipſi quis poſt ſe ad regni gubernacula ſeſſurus eſſet, indicaſſet? Dauid cùm hæc accepiſſet, Bethſabee accerſiri iubet. Ei rurſum iurauit, ſe id illo die perfecturum eſſe, quod iam de Salomonis imperio facturum eſſe iuraſſet. Itaque Nathan, Sadoc ſacerdoti & Banaïæ imperauit, vt adhibitis ſeruis ſuis Salomonem filium in mulam ſuam impoſitum in Gihon ducerent, ibíque eum Sadoc ſacerdos, & Nathan, regem vngerent ac cõſecrarent, & canente buccina prædicarẽt, Viuat rex Salomon. Hæc cùm geſta eſſent omnia, Ado-

nias certior factus, non modò de ſpe regni deiectus eſt, verùm etiam, ſpe ſalutis & vitæ penè amiſſa, ad aram quaſi ad aſylum cõfugit, eámque tenens, hoc optabat, vt Salomon ne ſe interficeret. Ille autẽ eum inde eductum dimiſit domum ſuam, cùm dixiſſet iis, qui illum ad aram ea quæ commemoraui optare, nunciauerant, ſi ex virtute degeret, non moriturum eſſe, ſin iniuſtè viueret, moriturum. Itaque cùm ille, mortuo iam patre rege, Bethſabee eius matrem rogaſset, vt à rege filio impetraret, vt Abiſag Sunamitidem acciperet vxorem, atque illa ad eum in ſolio ſedentem veniens, cùm eam vt matrem ad dextram in ſolio ſedere voluiſset, hoc ab illo peteret, tantum abeſt, vt hoc impetrarit, cùm ei antè quàm rem exponeret, nefas eſſe dixiſſet, ſe quicquam denegare, vt iuſſerit eam illi etiam regnũ petere, iurauerítq; eũ illo ipſo die eſse moriturũ. Id quod iuſſu eius Banaïas exequut⁹ eſt.

Saræ vxoris Tobiæ filij vita.

SARA *Raguele & Anna parentibus optimis nata eſt. Eam parentes vnam procreauerant, ob eámque cauſam chariſsimam habebant. Itaque ſpe propagandæ poſteritatis ac generis ſui, eam ſeptem viris ordine nuptum de-*

derant, ſed eos ſigillatim dæmonium quoddam Aſmodæus nomine, ſimulatque die nuptiis dicto concumbere cum illa conabantur, cum maximo & illius & parentum dolore, interfecit. Hũc eius dolorem auxit ancilla, quæ, cùm illam ob culpam ſuam obiurgaret, ei cædem virorum ſuorum ſeptem ita obiecit, vt quæreret ex ea, num ſe, quemadmodum illos, interficere vellet. Ipſa his ancillæ verbis impulſa, conſcendit ſuperius cubiculum domus ſuæ, ibíque triduum nihil cibi capiens, in precibus coniunctis cum lachrymis, conſumpſit. Tertio die abſolutis precibus, Deum laudauit, qui iratus, tamen miſericordiæ recordaretur, afflictioníſq; die, peccatis eorũ qui ſe appellarent, & inuocarent, ignoſceret. Itaque ſe ad eum confugere, aciémque mentis intendere: petere ſe, vt ſibi probrum obiectum elueret, aut certè mortem inferret. Eum probè ſcire, nunquam ſe appetiuiſse virum, animúmque ſuum ſemper ſeruaſſe incorruptum omni libidine: nũquam ſe adiunxiſſe ludentibus, neque iis, qui leuia & inania ſequerentur, ſociam ſe præbuiſſe. Viro non libidinis explendæ cauſa, ſed metu eius ac religione ductã, ſe nuptum dari voluiſse: atque aut ſe illis ſeptem indignã, aut illos ſe fuiſse, quòd fortaſsis alij viro ſe deſtinaſſet, vel reſeruaſset: neque enim eſſe in hominum poteſtate

poteſtate eius conſilium. Hæc atque alia eiuſdem generis dicentem audiuit Deus. Tobias enim pater, qui, conſumptis facultatibus ſuis in pauperum vſum ac præſidium, Gabelo propinquo duris rebus decem talenta argenti, chirographo accepto, mutuò ſe dediſſe recordaretur, Tobiæ filio rem indicauerat, præceperátque vt eò proficiſceretur argenti repetendi cauſa, illéque paratum ſe eſſe dixerat, ſed viam ſcire ſe, ac propinquum noſse, & qua ratione argentum repeteret, intelligere negauerat, cùm pater dato chirographo eum monuit, vt tantùm fidelem ducem itineris quæreret, cui mercedē daret. Egreſſus, vt quæreret, ſtatim āngelum Dei, Raphaelem nomine, inuenit, ſpecie & figura adoleſcentis parati ad profectionem, qui ſe & viam ſcire in vrbem Medorum Rages, & Gabelum noſſe rogatus reſpondit, perductúſque ad Tobiam patrem, filium eò promiſit ſe ſaluum & incolumem & ducturum eſſe, & reducturum cum argento. Ne longè abeam, Tobias pater vtrique in via proſperè omnia optat euenire. Illi profecti, primo die veſperi ad Tigrim flumen peruenerant. Tobias autem cùm in flumen lauandi cauſa deſcēndiſſet, grandis piſcis ex profundo emergens abſorbere eum conabatur, cùm ille, ſe ab illo inuadi, Azariam appellans, (ſic enim ſe vocari

P

dixerat) clamauit. Angelus eum monet, vt branchiis arreptum, in terram extrahat: extractus cùm fuiſset, vt exoſſet & exenteret, eiúſque & cor & fel & iecur ſibi reſeruet: eas enim particulas prodeſſe, adhibitas in remediis. **Hoc** *cùm feciſset, quod reliquum erat, ſalſamento conditum eſt, eóque vſi ſunt in via, dum ad vrbem Rages venirent. Tobias autem, angelum, vt ſibi diceret, quis vſus eſſet earum particularum, quas reſeruari iuſſerat, rogauerat, cùm ille indicauit, ſi cordis particulam prunis adhiberet, fumum eius profuturum eſse contra dæmonium, idque expulſurum ſiue ex viro, ſiue ex muliere: ſic, vt nunquam poſtea acceſſurum eſset ad eos: fel verò oculis adhibitum, curandæ albuginis vim habere. In via ab eo idem quæſierat, vbi noctu diuerſarentur, eique ille reſponderat, ibi in proximo habitare Raguelem propinquum ſuum, eiuſdem tribus cuius eſset, ad quem rectè diuerterent: eique eſse filiam vnam tantùm, cui Saræ nomen eſſet, quæ illi vxor ducenda eſset, itaque illam peteret: cùm Tobias dixit, hoc ſe auditione accepiſse, illam datam eſſe nuptũ ſeptem viris, quos interfeciſset dæmonium. Proinde timere ſe, ne idem ſibi eueniret: quod ſi eueniret, ipſe qui vnus eſset parentibus, eis cauſam mortis afferret. Angelus eum vt ſe*

audiat, monet: ſe enim indicaturum, quos ſolitus ſit malus genius vincere. In eos dixit, qui ita inirent coniugium, vt Deũ à ſe & à mente ſua abalienarent, libidiníque ita darent operã, vt equus ac mulus, in quibus mens non ineſſet, nec ratio, dæmonium habere imperium & poteſtatem. Ipſum autem, cùm illam accepiſſet, oportere triduo ſe ab ea continere, & tantùm precari Deum cum illa: ita enim fore vt prima nocte, incenſo piſcis iecore, dæmonium fugaretur: altera nocte, in ſanctorum Patriarcharum ſocietatem admitteretur: tertia, vt munus conſequeretur procreãdi liberos ſaluos & incolumes: qua tranſacta, tum denique virginem acciperet, timore, ac religione Dei ductus, non amore explendæ libidinis. Quod cùm facturum ſe promiſiſſet Tobias, ingreſſi ſunt Raguelis domum. Raguel etſi eos ignorabat, tamen hilari vultu excepit. Cùm Tobiæ, propinqui ſui, filiũ eſſe didiciſſet, cum lachrymis eum oſculatus eſt, habitóque vltrò citróque variis de rebus ſermone, occidi arietem, & conuiuium apparari iuſſit. Cùm apparatis omnibus eos ad prandium inuitaret, tum Tobias negauit ſe ibi quicquam cibi antè capturum eſſe, quàm ille ipſi filiam ſe nuptum daturum promitteret. Raguel, qui meminiſſet, quid ſeptem ſuperioribus contigiſſet, veritus, ne

idem propinquo eueniret, nutabat, nec habebat, quid reſponderet. Itaque Raphael confirmauit eum, monuítq; ne illi qui Deũ timeret ac coleret, filiam dubitaret nuptum dare. Alium enim eã, ob eam cauſam, nõ potuiſſe habere. Raguel cùm dixiſset, iam ſibi non eſſe dubium, quin Deus preces ſuas cum lachrymis audiuiſset, atq; proptereà ſe credere procuratum ab illo eſſe, vt illi ad ſe venirent, vt virgo alicui generis ſui, ex lege Moſaica daretur, Tobiam hortatus eſt, ne eam ſibi datum iri diffideret. Itaque acceptam filiæ dextram dextræ illius tradidit, optans, ac rogans, vt Deus Abrahami, Deus Iſaac, & Deus Iacob eis adeſset, eóſque coniungeret, ac beneficiorum ſuorũ cumulum ad eos vellet accedere. Acceptáque charta, tabulas cõiugij conſcripſerunt. A cœna paratum eſt eis aliud cubiculum, introductáq; Sara flebat, quòd, ne idem Tobiæ accideret, quod prioribus, vehementer pertimeſceret. Eam Anna mater iuſsit eſſe bono animo, orans, vt Deus illi gaudium afferret, pro moleſtia ſuperiorum temporum. Ad eam poſteà intromiſsus eſt Tobias, qui memor præcepti Raphaelis, iecoris particulam incẽdit, túmque demum angelus dæmonium comprehenſũm vinxit in AEgypti ſolitudine. Hinc Tobias virginem ex Raphaelis præſcripto hortatus eſt,

vt ſurgerent, & illa ipſa nocte, atque ſequenti, & tertia, Deum precarentur. Se enim atque illam tribus illis noctibus cõiungi cum Deo oportere: tranſacta autem tertia, in coniugio ſuo eſſe manſuros. Se nanque & ipſam natos eſſe probis parentibus, nec poſſe ita copulari, vt gẽtes quæ ignorarent Deum. Surgentes autem pariter, in commune precabantur Deum, vt ſe ſaluos & & incolumes ſeruaret. Sara verò priuatim, vt ſui atque viri miſereretur, ſeruarétque incolumes. Parentes autem virginis, ante lucem foſſam parandam curauerant, vt in ea Tobiam, ſi idem ei quod aliis accidiſſet, ſepelirent: ſed cùm mane vtrũque ſaluum & incolumem eſſe comperiſſent, primùm Deo gratias egerunt, pro tanto in ſe beneficio, deinde foſſam terrâ complendam curarunt: poſtremò inſtruxerunt lautiſſimum conuiuiũ, ad quod vicini inuitati & amici, eis gratulati ſunt, Deóque egerũt gratias. Interim rogatu Tobiæ Raphael, adhibitis quatuor ex ſeruis Raguelis, duobúſque camelis, ſyngrapham ad Gabelum pertulit, acceptáque pecunia, eum ad nuptias domum Raguelis adduxit. Is cùm accumbentem menſæ Tobiam inueniſſet, geſtiens gaudio eum oſculatus eſt cum lachrymis, illíque & vxori optauit fauſta & proſpera omnia in coniugio. Rogabat generũ Raguel,

vt diutiùs ſecum maneret: quod cùm impetrare non poſſet, ne quid aduerſi patri & matri accideret, Saram ei tradidit, dimidiámque partem omnium quæ habebat, atque ita vtrunque dimiſit. Sara autem, ſeptimo tantùm die poſt virum cum pueris & impedimẽtis venit: túmq;, vtriuſque cauſa, parẽtes Tobiæ, propinquis atq; amicis inuitatis, ſeptẽ diebus maxima cum lætitia conuiuium dederũt. Suſcepit verò ex ea Tobias ſeptem filios, quos vidit Tobias pater, qui vixit poſt receptum aſpectum quadraginta duos annos. Parentibus autem mortuis ac ſepultis, ſicut pater iuſſerat, migrauit ad ſocerum & ſocrum, cum Sara vxore & liberis, quos ſaluos & incolumes inuenit in ſenectute, ad quam ſanctè iuſtéque viuentes peruenerant. Ii cùm priores exceſſiſſent è vita, reliqua pars ad eum & Saram vxorem venit. Tobias quidem nouem & nonaginta annos agens, mortuus eſt: Sara autem quandiu vixerit, inuenire non potui.

Oldæ prophetidis vita.

OLDA *prophetis, vxor Sellum Thecuath filij, qui Haſram, veſtium ſiue ſacerdotaliũ, ſiue regiarum cuſtodem, patrem habuit, ſemel tantùm, quantum ex diuinis libris intelligi po-*

teſt, vaticinandi munere functa eſt, atque id Ioſia optimo rege Iudę. Anno enim octauodecimo imperij ſui (vnum autem & triginta annos regia poteſtate præfuit) cùm templum Dei Hieroſolymis ſarciendum, reſtituẽdúmque Saphan Eſellæ filio, & Maaſiam vrbis præfecto, atque Ioha Ioachaz filio, qui erat à commentariis, mandaſſet, atque ij efferrent pecuniam, quæ in templum illata fuerat: Helcias pontifex Saphan, qui ſcriba erat, expoſuit ſe in tẽplo librum legis Dei reperiſſe, qui per Moſem populo datus fuiſſet, eúmque illi tradidit. Saphan ſcriba cùm hoc regi nunciaſset, Rex, libro iuſſu ſuo recitato, diſcidit veſtem, præcepítque Helciæ pontifici, & Saphan ſcribæ, aliíſque tribus ex ſuis, vt irẽt precatum Deum pro ſe, atque vniuerſo populo, conſultúmque de iis, quæ volumen illud complecteretur. Deum enim in ſe, & illos, atque populum, vehementer concitatũ eſſe, propterea quòd maiores non ſeruaſſent, quæ liber ille profiteretur. Habitabat tum Hieroſolymis Olda hæc, in ſecunda vrbis parte, cui cùm illi hæc narraſſent omnia, ipſa reſpondens, iuſsit eis renunciare illi qui ipſos miſiſſet, Deum hoc dicere & cõfirmare, ſe vrbẽ Hieroſolyma eiúſque incolas oppreſſurum iis malis, quæ in eo libro ſcripta eſsent, quem regi Iudæ recitaſſent: eum enim furore in

locum illum ita concitatum eſse, vt minimè ſedaretur, quòd ipſo deſerto, diis peregrinis immolaſſent, vt eorum operibus ira excandeſceret. Ei autem, à quo miſſi eſsent, Deum ipſum hoc ſignificare dicerent: quòd verba legis audiſset, eiúſque animus mollis ac tener factus eſset, atque ipſe in conſpectu ſuo ſe ſummiſsè geſſiſset, iis auditis, quæ in locum illum, eiúſque incolas, ſcripta eſsent, atque ipſum veritus, & veſtem laceraſſet, & profudiſset lachrymas, ſe ab ipſo auditum eſſe ſciret. Iam enim eum exceſſurum è vita eſſe, nec aſpecturum mala illa omnia. Quæ cùm regi renũciaſſent, ipſe conuocatis vniuerſis ſenibus Iudæ atque vrbis, cum eis in templum ingreſſus eſt, recitauítque in conſpectu omnium verba omnia illius voluminis, (Deuteronomium autem fuiſſe dicitur) pepigítque fœdus cum Deo, promiſitque ſe eius præceptis omnibus obtemperaturum, perfecturúmque omnia, quæ libro illo continerentur: nec tantùm ipſe, verùm etiam omnes, qui aderant iuriſiurandi religione obſtrinxit, ſe eadem eſſe facturos. Ita Olda hæc prædixit excidium Hieroſolymitanum, quod paulò pòſt, Ioacim & Sedechia regibus, euenit.

IVDITH VIDVÆ, SANctiſſimæ fœminæ, vita.

IVDITH *Merari, tribus Rubeninæ, filia, vxor autem Manaſſis eiuſdem tribus, in oppido Bethulia, cuius ciuis erat, mortuo viro ſuo, locuplete homine, in ſumma contignatione domus ſuæ, precandi cauſa, ſecretum cubiculum ſibi fecerat, in quo cum virginibus ſuis clauſa manebat, amictáque cilicio ad renes, ieiunabat quotidie, præter quàm ſabbatis, & noua luna, diebúſque feſtis Iudæorum. Ea, quæ & honeſtiſsima facie erat, & quod pluris faciẽdum eſt, religionem in Deum tantam cum eiuſmodi forma coniunxerat, vt nemo de ea vnquam, niſi vt de ſanctiſsima fœmina, loqueretur: cùm triennio & ſex menſibus poſt viri mortem in tali propoſito, ſuſceptóque conſilio permanens, audiſset, Oziam tribus Simeoninæ hominem, qui præfectus erat ſiue princeps oppidi cum Charmi, vniuerſi populi querelis ac penè conuiciis coactum, vt plebem tumultuantem in officio contineret, promiſiſſe, niſi intra quintum diem Deus, quem colerent, auxilium mitteret, fore, vt oppidum dederetur Holoferni, qui miſſus à Nabuchodonoſore rege*

Aſſyriorum, anno eius imperij duodecimo, cum centum viginti peditum milibus, & equitum duodecim, obſtructis fontibus, ex quibus Bethulini aquam hauriebant, poſtero die oppidum obſeſſurus erat: accerſiuit Chabri & Charmi presbyteros ſiue ſenatores, eiſque expoſuit, iniquè egiſſe Oziam, qui populi tumultuantis querelis impulſus, ad quintum diem ſe oppidum Aſſyriis promiſiſſet dediturum, niſi Deus auxilium mitteret, quòd hoc ipſo omnes, qui nulli eſſent, Dei potentiam tentare viderentur. Itaque factum illud eiuſmodi eſſe, vt nõ miſericordiam eius commoueret, ſed potiùs concitaret iracundiam, cùm ita eius commiſerationi tempus conſtituiſſent arbitratu ſuo. Quoniam autem, vt ita dicam, patiens eſſet cleménſque Deus, qui non hominis inſtar minus moueretur, nec ira concitaretur, omnes eius ſceleris pœniteret, profuſiſque lachrymis eum, & ipſa & illi rogarent, abiectis demiſsíſque animis, vt pro humanitate clementiáque ſua ipſos reſpiceret atque tueretur, vt quemadmodum ſuperbia arrogantiáque hoſtium ipſorum animi fracti conturbatíque erãt, ſic abiectione & ſummiſsione ſuorũ ſpirituum gloriarentur, qui non maiorum ſuorum ſcelera & flagitia imitarentur, à quibus, ipſo vero Deo deſerto & abiecto, peregrinis diis cultus

tributus eſſet àc veneratio, quam ob cauſam obiecti fuiſſent ab eo hoſtiũ gladiis, direptionibus, & probris atq; ignominiis, ſed ignorarẽt alium Deum. Itaque ſe ſummiſsè gerentes expectarẽt ipſa & illi Dei conſolationem & auxilium, qui afflicturus eſſet gentes, quæ in ipſos exorirentur, impetúmque facerent. Illos autem, qui presbyteri eſsent populi, & ex quibus animi omnium penderent, oportere ſermone ſuo animos eorum labentes erigere & confirmare, vt meminiſsẽt maiores ſuos atque ipſorum probatos eſse multis variiſque modis, num verè Deum colerent: vt Abrahamum, qui multis calamitatibus rebúſque aduerſis probatus, amicus Dei effectus eſſet: ſic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moſem, & omnes qui Deo grati acceptíque fuiſsent, in multas miſerias incidiſſe: eos autem, qui pericula & approbationes non metu & reuerentia Dei excepiſsent, ſed mollitia animi in eum murmuraſsẽt, & à profligatore deletos eſſe, & interiiſſe morſu ſerpentium. Quapropter, ne ipſa & illi vlciſcerentur, aut acerbè ferrent ea, quæ ipſis accidiſſent: ſed cogitantes, illa Dei flagra, quibus quaſi ſerui corrigerentur, leuiora eſſe ſupplicia, quàm pro ſceleribus ſuis, non internecionis cauſa, ſed emendationis, eueniſse crederẽt. Illi, cùm finem dicẽdi feciſset, veram eſse eius orationem

dixerant ita, vt non haberent, quod poſſent improbare. Itaque rogabant, vt ipſa, quæ mulier ſancta eſſet, Deúmque timeret ac coleret, pro ſe Deum precaretur. Ipſa tum eos hortata eſt, vt quemadmodum id quod dixiſſet, Dei eſſe intelligerēt, ſic quod facere cogitaret, num à Deo profectum eſſet, experirentur: ac ſi Dei eſſe cognouiſſent, orarent eum, vt ſtabiliret conſilium ſuum. Monuit ergo eos, vt illa ipſa nocte ſtarent ad portam, per quam cum ancilla ſua egrederetur, Deúmque rogarent, vt ſicuti polliciti eſſēt, auxilium mitteret ad quintum diem: ipſi autem ne quærerēt quid factura eſſet, dum eis ipſa nunciatum veniret, tantúmque omnes Deum pro ipſa comprecarentur. Illi cùm abiiſſent, orantes Deum, vt ei adeſſet, ipſa in cubiculū, quod precandi cauſa parauerat, ingreſſa, cilicio ad renes præcincto, aſperſoq́ue capiti cinere, ſe proiecit, ſtrauítque in faciem, Deúmque rogauit Simeonis progenitoris ſui, vt qui ei præbuiſſet gladiū, quo vlciſceretur ſtuprum oblatū à Sichem Dinæ ſorori ſuæ, dediſſétque mulieres Sichemitarum, earúmque filias ſupplicij cauſa, capiendas & rapiendas, bonáque illorum diripienda ſeruis ſuis, qui ira incitati, & ſtudio impulſi, ipſius honorem defendiſſent, ſibi viduæ ſubueniret. Eum enim & illa excogitaſſe, & eis ſuperio-

ra ac priora feciſſe, & id factum eſſe quod volu-iſſet: nãque vias eius paratas eſſe, eumque iudicia ſua concluſiſſe prouidentia. Itaque Aſſyriorum caſtra illa ipſa hora aſpicere vellet, ſicuti illa AEgyptiorũ tum aſpexiſſet, cùm curribus ſuis, equitatu, ac multitudine ſua freti, curſu ſeruos ipſius illi quidem ſequebãtur: ſed quoniam eos aſpexiſſet, tenebris cæcos ſe in mare ſubmerſiſſent, cùm aquas ipſe retorſiſſet: idem etiam Aſſyriis eueniret, qui multitudine hominum, gladiorum, cõtorum, ſcutorum, iaculorũ, lancearúmque confiſi gloriarentur, ignorarént-que ipſum eſſe Deum, qui poſt conditum orbem bella ſolus frangeret. Erigeret ipſe brachium ſuum, ſicut iam inde ab initio feciſſet, víque ſua vim illorum exhauriret ac reprimeret: concideret ira ſua vis eorum, qui ſe iactarent ſancta eius violaturos, diruturóſque aram ipſius. Faceret idem, vt Holofernes gladio ſuo iugularetur, caperetúrque per ipſam laqueo oculorum ſuorũ, & labris ſiue verbis ipſius eum feriret. Daret ſibi & in animo conſtantiam, vt eum eiúſque vires contemneret, & vires vt eundem deleret. Hoc enim ei laudi datum iri, ſi poſterorum memoriæ proderetur, Holofernem deletũ eſſe manu fœminæ: præſertim cùm non in multitudine eius vis & potentia cerneretur, neque in equo-

rum viribus ipſius voluntas, neque ab initio ſuperbi ei fuiſsent probati, ſed eorum qui abiecto eſsent animo, ſemper gratæ preces fuiſſent. Ipſe ergo, qui Deus cœlorum eſset, cõditor aquarum, dominúſque rerum omnium, quæ conditæ fuiſſent, ſe indignam ancillam ipſius audiret, precantem, ac multa ſibi pollicẽtem de ipſius miſericordia. Veniret ei in mentem teſtamenti ſui, ſuggererétq; verba ori ipſius, & in animo confirmaret conſilium, vt domus eius in ſanctimonia ipſius permaneret, omnéſque gentes eum eſſe Deum, nec alium præter ipſum eſse, cognoſcerẽt. Quæ cùm perorasſet, quaſi ſe à Deo auditam intelligeret, ſurgens accerſiuit ancillam ſuam, deſcendénſque domum, detracto cilicio, detractíſque veſtibus lugubribus, corpus primùm abluit, perfudítque vnguento optimo, calamiſtratóque capillo, ac delibuto myrrha capite, induxit in pedes ſandalia, in brachia brachialia & armillas, in aures inaures, in digitos annulos, omníque mundo muliebri ſe compſit: quinetiam Deus eam ſplendore quodam formáque tanta honeſtauit, propterea quòd non libidinis cauſa, ſed fortitudinis hæc omnis ab illa aſſũpta eſſet compoſitio, vt omnium in ſe oculos conuerteret. Deinde datis ancillæ iis omnibus, quæ ex lege ad vitam neceſſaria erant, venit ad portam oppidi,

vbi Oziam presbyteróſque reperit, qui eius formam incredibilem mirati, illam egredi paſsi ſunt, cùm tantùm precati eſsent, vt Deus illam gratioſam faceret, atque omne conſilium, quod ſuſcepiſset, confirmaret ita, vt & ipſi laudi, & Hieroſolymis gloriæ cederet. Cùm cæteri qui aderant, ita euenire ſe velle dixiſsent, ipſa, ſubſequente pediſequa, egreſsa, prima luce in ſpeculatores Aſſyriorum incidit, cùm ex monte oppido proximo deſcenderet. Illi captam rogant, vnde veniat, & quo proficiſcatur. Ipſa Hebræam ſe eſſe reſpondet, ſéque propterea transfugiſſe quòd intellexiſset futurum, vt ciues ſui in eorum venirent poteſtatem, qui illos cõtemnentes, ſe ſponte ſua ipſis dedere noluiſsent, ſpe alicuius humanitatis. Se hac cauſa ductam, id conſilij cepiſſe, vt ad Holofernem tranſiret, eique indicaret qua ratione, ſine vllius ſuorum ſanguine, eos ſe dedere cogeret. Speculatores audita hac eius oratione, cõtemplabantur eius formam, in eámque defixis oculis, cum ſtupore & admiratione maxima, primùm confirmauerunt, hoc ſibi perſuaderet, ſe non ſolùm illo conſilio ſibi ac vitæ ſuæ conſuluiſse, verùm etiam duci exercitus futuram gratiſsimam, atque ab eo inituram gratiam: deinde eam ad Holofernem in tabernaculum duxerunt, qui, vt primùm illam vidit,

eius amore captus eſt. Stipatores autem ſui, ei dixerunt, non eſse qui contemnere deberet Hebræos, qui tam formoſas mulieres haberent, ne pro illis iurè ac meritò cum eis bellum gerere deberent. Ipſa proiiciens ſe ad pedes illius, eum venerata eſt, quam cùm iuſsu illius ſui erexiſsent, primùm iuſsit eam bono animo eſse, quippe cùm nemini vnquam nocuiſset, qui Nabuchodonoſori ſeruire voluiſset. Quòd ſi ab illius popularibus contemptus non eſset, nunquam ſe contra eos ſignum aut lanceam ſublaturum fuiſse: deinde, cur illis deſertis ad ſe tranſiſſet, exponere. Iudith tum ita orſa eſt. Rogauit eum, vt verba ſua benignè audiret, quæ ſi probaret, fore dicebat, vt Deus auxilium ferens, perfectam rem quam inſtituiſset, daret. Teſtem enim eſſe Nabuchodonoſorem regem orbis, teſtémque eius & vim, & potẽtiam, quam eò in illo integram eſse vellet, vt eorum qui ſceleribus ſe contaminarẽt, animos emendaret ac corrigeret, ipſius opera illi non modò homines ſeruire, verùm etiam feras beſtias obtẽperare. Eius enim induſtriæ ac prudentiæ famam peruagatam eſſe ad omnes nationes, memoriæque poſterorum proditum eſſe, ipſum vnum bonum ac potentem eſse in totò illius imperio, eiúſque diſciplinam in prouinciis omnibus prædicari. Neque hoc latere, quid ei

Achior

Achior dixiſset: neque ignorari, quid illi præcepiſſet. Conſtare enim Deum, quem coleret, ſceleribus ſic offenſum & concitatum fuiſse, vt per prophetas ſuos populo denunciauerit, fore, vt propter ſcelera ſua affligendus aliis nationibus dederetur. Qui quoniam ſcelerum ſuorum ſibi conſcij eſſent, ipſum ab illis metui: prætereà fame ac ſiti ſic illos iam confectos eſse, vt non in viuis haberentur, ſed in mortuis: ob eámque cauſam inſtituiſſent pecora ſua interficere, vt ſanguine eorum ſitim ſuam reſtinguerent ac ſedarent. Poſtremò ea omnia, quæ nefas eſset tractari, conſtituiſse cõſumere. Itaque cùm hæc facerent omnia, non eſſe dubium, quin tradendi eſsent ad internecionem. Quæ cùm cognita haberet, ſe diſceſſiſſe ab illis, miſsámque à Deo illi nũciatum. Se enim etiam tũ, apud ipſum, Deum colere: quæ, ſi ei videretur, exitura eſſet eũ precatum, qui ſibi quando de illis ſumpturus eſſet ſupplicium, enunciaturus eſset: quod ipſa poſteà nunciatum veniret. Túmq; fore, vt ille per mediam Hieroſolymam, ab ipſa ductus, Hebræos omnes, quaſi oues ſine paſtore, ſubigeret ſub Nabuchodonoſoris imperium. Hæc enim ſibi prouidentia Dei enunciata eſse: quæ, quoniam Deus eis infenſus eſset, ipſi miſsa eſset nunciatum.

Placuit Holoferni, eiúſq; exercitui, hæc Iudith oratio: omnéſque illius ſapientiam adeò admirabantur, vt alij aliis dicerent, non eſse mulierem in orbe ſimili forma & facultate dicendi præditam. Holofernes autem primùm ei reſpondit, bene factum eſſe à Deo, qui illam præmiſiſſet, vt populum manibus ſuis traderet: quoniámque illud eius promiſſum, bonum fauſtúmque eſſet, ſi Deus ipſius id faceret, fore, vt & ipſe eum coleret, & illa in regia Nabuchodonoſoris plurimum poſſet, ſic vt nomen eius in orbe terræ celebraretur. Deinde eam iuſsit, introire in locum, ſiue cellam, in qua theſaurum habebat reconditum, atque ibi manere. Præſcripſerat autem quid illi ex menſa ſua quotidie apponeretur: ſed cùm ipſa ei ſignificaſſet, nihil ſibi fas eſſe capere eorum quæ præſcripſiſſet, ne quid ſceleris admitteret, ex iis autem quæ attuliſſet, ſe capturam: atque ille quæſiuiſſet, cùm ea quæ attuliſſet conſumpta eſſent, quid ipſi præberet: eadémque reſpondiſſet, ſe illa omnia conſumpturam non eſſe antè, quàm ea quæ cogitaret, perficeret: eam arbitratu ſuo facere paſſus eſt. Cùm in tabernaculũ illud interius introduceretur, Holofernes ei petenti conceſſerat liberũm egreſſum triduo, noctu, & ante lucem, precatio-

nis gratia: itaque noctibus ipſis in vallem Bethulinam exibat, ſeque ibi in fonte abluebat: rediens autem, in aſcenſu montis Deum, vt ſibi dux eſſet ad liberandum populum ſuum, rogabat. Cùm redierat in tabernaculum, munda manebat, dum veſperi cibum caperet. Quarto die, Holofernes cum domeſticis ſuis cœnabat, occaſionémque ſe nactum putans explendæ cum Iudith libidinis, Bagoæ ſpadoni negotium dederat, vt ei perſuaderet, vt cum ipſo cœnaret. Ipſa cùm Holofernis volũtatem accepiſſet, indignam ſe reſpondit, quæ illius voluntati obſiſteret. Itaque amicta ornatáque mundo muliebri, intrauit in illius tabernaculum. Ille autem coniectis in eam oculis, vehementer animo permotus eſt: eámque læto animo accumbere, ac iucundè bibere iuſſit, hoc ipſo, quòd iniiſſet ab eo gratiam. Cùm reſpondiſſet, ſe ſanè bibituram, quippe quæ maiorem gloriam eò die, quàm vnquam in vita eſſet conſequuta: & ipſa comedit ac bibit, quæ ancilla parauerat: & Holofernes ob eam lætus, tantum vini bibit, quantum nunquam in cœna vna in vita hauſerat. Veſperi, Holofernes primus cubitum iuit, domeſticíque eius ſe properè in tabernacula ſua, quòd onuſti eſsent vino, receperunt, &

Bagoas, occluſo cubiculi oſtio, abiit. Iudith ſola in cubiculo obſeruabat inſidiarum cædiſque tempus, dato negotio pediſequæ, vt ſtaret extra, ante cubiculum, & obſeruaret. Cúmque Holofernem alto ſomno oppreſſum animaduertiſset, ſtans ante lectum, Deum cum lachrymis ſolo motu labrorum precabatur, vt ſe corroboraret, iuuarétque in ea re perficienda, quam inſtituiſset, quòd eius præſidio illam ſe poſse facere ſperaret, vt, ſicut promiſiſſet, Hieroſolymam vrbem ſuam efferret. Quæ cùm dixiſſet, acceßit ad columnam lecti, ſicámque eius, quæ ad eam deligata pendebat, ſoluit, diſtrictóque gladio, arrepto capillo, cùm rurſus Deum, vt ſe corroboraret, precata eſset, vno atque altero ictu ei præcidit caput. Paulò pòſt egreſſa, caput ancillæ in pera condēdum dedit: túmque profectæ, tanquam, pro more, precandi cauſa, per caſtra & vallem ſubiectam, ad portam oppidi perueniunt. Ipſa eminus vigilibus magna voce, vt intelligerent, dixerat, vt actutùm aperirent: Deum enim ſecum eſſe, & cum ancilla, qui ſe fortem in Iſraele præſtitiſſet. Vigiles cognita eius voce, presbyteros oppidi conuocarunt, omnéſque ad vnum ei obuiam prodierunt cum facibus ardentibus. Ipſa cùm in æditum locum

aſcendiſſet, indicto ſilentio, omnes hortatur, vt Deo laudem tribuant, qui non defuiſſet iis, qui in ipſo ſpem collocarent, atque per ipſam ancillam ſuam perfeciſſet beneficium, quod Iſraelitis pollicitus fuiſſet, interfeciſsétque illa ipſa nocte hoſtem populi ſui. Prolatúmque è pera caput oſtendens omnibus, Holofernis ducis exercitus Aſſyriorum caput eſſe dicebat. Teſtem etiam Deum citabat pudicitiæ ſuæ. Omnes tum ei gratulari, eam laudare ampliſsimis verbis, ſed maximè Ozias, qui eam mulieribus omnibus laudans anteponebat. Suaſit autem Iudith populo, vt prima luce caput Holofernis ex muro ſuſpenderent, armatíque facto impetu excurrerent foras. Sic enim fore, vt & ſpeculatores cogerentur fugere ad ducem ſuum ad pugnam excitandum, & tribuni cùm eum in ſanguine ſuo truncum inueniſsent, timore perterriti ſe in fugam coniicerent. Ipſi ergo eos cùm fugere cognouiſſent, ſine metu ſequerentur, propterea quòd Deus illos pedibus ipſorum obtriturus & deleturus eſſet. Bethulini ſequuti conſilium quod Iudith dediſſet, ſuſpendunt caput, armatíque cum magno ſtrepitu excurrunt. Quos cùm ſpeculatores animaduertiſſent, curſu contenderunt ad tabernaculum Holofer-

nis. Ii verò qui iam in tabernaculo erant, antè cubiculi veſtibulum perſtrepentes, illius excitandi cauſa, de induſtria tumultuabantur. Nemo enim pulſare fores aut intrare audebat. Duces & tribuni tandem coacti venire, cubiculariis imperabant, vt introirent, eúmque excitarent, nunciantes, Mures ex cauernis ſuis exiſſe, qui ipſos auſi eſſent ad prælium prouocare. Bagoas ingreſſus, non audebat propiùs accedere, quòd dominum cum Iudith conſuetudinem habere ac dormire ſuſpicaretur, ſed ante cortinam ſtans, manibus ſtrepitum edebat. Cúmque nullum motum iacentis aurium ſenſu acciperet, accedens propiùs, cortinam erexit, animaduerſóque trunco corpore ſine capite, exclamare cœpit cum lachrymis, & veſtem diſcidere. Ingreſſus inde in Iudith tabernaculum, cùm eam minimè offendiſset, excurrens foras, omnibus palàm & publicè dixit, Vnam Hebræam mulierem in domum Nabuchodonoſoris regis dedecus intuliſſe: iacere enim Holofernis cadauer truncum ſine capite. Hoc nuncio duces & tribuni exterriti, lacerarunt veſtes ſuas, timoréque ac tremore conſternati ſunt. Ingens etiam in caſtris clamor excitatus eſt. Cúmque exercitus omnis cauſam tanti clamoris cædem Holo-

fernis accepiſset, omnes mẽtis & conſilij expertes, ſe alij aliò palantes coniecerunt in fugam, tanta cum trepidatione, vt nemo cum proximo verbum faceret, ſed demiſſo vultu omnes relictis ſociis ſumma cum feſtinatione, ex manibus Hebræorum, quos in ſe infeſtis animis venire audierant, conabantur elabi. Quod cùm illi cognouiſsent, eos, clangentes tubis, clamantéſque, ſequuti ſunt. Et quoniam Aſſyrij palantes diſperſique fugiebant, Hebræi autem vno agmine eos perſequebantur: omnes, quos aſſequi poterant, delebant. Itaque Ozias, hoc cùm intellexiſſet, miſit qui in oppidis regionibúſque Iſraelis nunciarent. Quo accepto nuncio, delecti milites educti ſunt ex cunctis vrbibus & regionibus, qui eos perſequendi & interficiendi non antè finem fecerunt, quàm ad extremos fines ſuos peruenirent. Qui autem Bethuliæ remanſerant, ingreßi in caſtra Aßyriorum, prædam & ſpolia, quæ illi fugientes reliquerant aſportauerunt. Erat tum Hieroſolymis pontifex Ioachim. Is accepto huius victoriæ nuncio, cum ſacerdotibus Bethuliam, vidẽdæ Iudith cauſa, venit. Iudith eis obuiam prodiit, quam tam magnis laudibus ornarunt, vt eam & gloriam Hieroſolymorum, & Iſraelis lætitiam, & po-

puli ſui honorem eſſe prædicarent. Hanc verò victoriam Dei benignitate ab ea partam eſſe dicebant, quòd pudicè caſtéque viuens, virum, præter ſuum, ſemper ignoraſſet. Populus porrò, ne ingratus iurè ac meritò dici poſſet, quicquid auri, argenti, gemmarum, veſtium fuerat Holofernis, reliquámque eius ſupellectilem Iudith dederunt. Ipſa illa omnia Hieroſolymis Deo dedicauit, cùm ei maximas & laudes tribuiſset, & egiſset gratias pro tam magno per ſe in populum collato beneficio. Dies feſtus tantæ victoriæ actus eſt ab vniuerſo populo, cum ipſa, tribus menſibus continuis, inſtitutúmque eſt, vt quotānis maxima cum lætitia omnium celebraretur. Vixit autem Iudith caſtè ac pudicè ad centeſimum quintum annum, ſepultáque eſt cum viro ſuo: mortuam luxit populus omnis diebus ſeptem.

Eſter Abihaïl filiæ vita.

ESTER *Abihaïl patre, tribus Beniaminæ, nata eſt. Ea cum Mardochæo patruo, qui illam, patre ac matre mortuis, adoptauerat, Babylonem à Nabuchodonoſore rege, cùm Iechoniam regem Iudæ ab-*

duxit, captiua ducta, poſteà Artaxerxis regis Aßyriorum vxor fuit, hoc modo. Artaxerxes tertio anno imperij ſui magnificum dabat conuiuium in vrbe Suſan, regni ſui capite, cunctis principibus ac ducibus Perſidis ac Mediæ: eiúſque exẽplo, Vaſthi regina fœminas clariſſimas excipiebat conuiuio. Septimo conuiuij die, Artaxerxes cùm paulò hilarior eſſet, incaluißétque mero, ſeptem ſpadonibus, qui ipſi miniſtrabant, præceperat, vt Vaſthi, quæ forma excellebat, introducerent diademate redimitam, vt principes illi præſtantem eius pulchritudinem cognoſcerent, atque ſpectarent. Quod eius mandatum cùm illa contempſiſſet, iratus Rex, rogauit ſententiam ſeptem Sapientum, quorum de conſilio omnia agebat, quid ſibi faciendum eſſe cenſerent. In iis Mamuchan iram regis iuſtam eſſe dicebat, propterea quòd, ſi id in Vaſthi ferret, futurum eſſet, vt omnes Perſarum Medorúmque mulieres, illius exẽplo, virorum ſuorum imperia contemnerent. Itaque cenſebat, ei lege ſanciendum eſſe, vt virorum in mulieres imperium valeret, regnúmque Vaſthi adimendum eße, tradendúmque præſtantiori. Quod conſilium cùm regi probaretur, ac principibus qui aderant, ſeruique illius quærendas virgines

in prouinciis præſtanti forma dixiſsent, quæ cùm adductæ fuiſsent, Rex ex eis formoſiſsimam deligeret, Artaxerxes rem maturari iuſſit. Itaque aliæ ex aliis prouinciis, ex mandato regis, præſtantiſsima forma virgines, quotidie adducebantur: in his Eſter, quæ producta in conſpectum Artaxerxis, ab illo cæteris prælata & antepoſita eſt, ac diademate ornata ſeptimo anno imperij ſui. Mardochæus, illius (vt dixi) patruus, pro foribus regij cubiculi ſedebat. Is cùm ſpadones duos regis, qui ianitores erant, in Artaxerxem coniuraſſe, eúmque interficere velle comperiſset, hoc Eſter reginæ indicauit, Eſter autem regi: qui, habita de coniuratione quæſtione, conuictos in crucem agi iuſsit, atque hoc totum in Annales referri. Quod Mardochæo cauſam, non ſalutis modò, verùm etiam maximi honoris, attulit. Nam cùm Aman, Amadathi filius, à rege ita elatus fuiſſet paulò pòſt, vt & principes omnes ei concederent, & iuſſu illius eum etiam cæteri venerarentur, nec Mardochæus, ſeruis regis illum monētibus, hoc facere in animum induceret: atque Aman, qui non ſolùm hoc audiſſet, verùm etiam obſeruaſſet, iracundia incitatus, non modò de illius morte, verùm etiam de totius gentis inter-

necione cogitare cœpiſset, eóque rem iam deduxiſſet, vt rex, illius falſis accuſationibus impulſus, literas de vniuerſa Iudæorum gente, vbicunque reperiretur, delenda, diripiendíſque eorum bonis, ad omnes prouincias ſcripſerit, & antequam dies eius delendæ veniſset, Mardochæus ei factus obuiam non aſſurrexiſſet, qua de cauſa, tanto in illum furore exarſit, vt ipſe qui primus eſſet in regia, tamen nihil ſe eſſe, aut habere, quandiu videret Mardochæum, putare, diceret amicis, quorum de conſilio, exatiandi animi cauſa, crucem ei parari iuſsit: tamen nec gens deleta eſt, & Aman ipſe in crucem, quam Mardochæo erexerat, actus eſt, cùm anteà eum iuſſu regis in equo illius ſedentem, atque ornatu regio amictum, & coronatum, per aream vrbis anteceſsiſſet. Quod quemadmodum geſtum ſit, non alienum erit fuſiùs, ac ſigillatim exponere. Artaxerxes quidem, certis quibuſdam cauſis ductus, Aman ita, vt dixi, extulerat, imperauerátque ſeruis ſuis, qui in foribus palatij verſabantur, vt ei genu inflecterent, illúmque more Perſico venerarentur. Huic edicto Regis ſolus Mardochæus, qui ſe Iudæum eſſe iam dixerat, parêre, etiam à collegis admonitus obiurgatúſque, nolebat. Con-

temptum illi hoc interpretati, rem Aman nunciant, vt ſcirent, num permaneret in ſententia: Aman, re non ſolùm ab aliis audita, verùm etiam per ſe comperta, accerbè tulit, tantáque in eum ira concitatus eſt, vt ſe iniuriam eiuſmodi non vlturum exiſtimaret, ſi illum ſolum affligeret ac malè perderet. Itaque Iudæos omnes ad vnum ſibi delendos exiſtimat. Adit ergo regem: ei narrat, diſperſam eſſe per totum imperium ſuum gentem Iudæorum, quæ nouis legibus vteretur, ipſiúſque decreta contemneret. Hoc autem ſcire eum, non eſſe è re ſua & regni, gentem illam pati inſoleſcere licentia. Itaque ſi ei videretur, decerneret eam eſſe delendam: quod quò faciliùs ei perſuaderet, decem milia talentorum argenti gazæ regiæ penſurum ſe eſſe promiſit. Rex annulo ex digito ſuo detracto, & in illius digitum inducto, argentum quod polliceretur, illi manere voluit, dixítque fas ei eſſe, quid de gente Iudæorum vellet, ſtatuere. Accitis ſcribis, res ad ſortem relata eſt, quo in menſe ac die Iudæorum interitus conſtitueretur. Erat tum decimus tertius Ianuarij dies, & iam duodecim annos rex obtinuerat regnum, ſortéque incidit Decembris tertius decimus dies. Hoc quamprimùm Rex

per literas, quas annulo ſuo obſignauerat, imperauit præfectis, ac iudicibus omnium prouinciarum, ac primùm Suſis tam crudele edictum propoſitum & affixum eſt, conuiuium Rege & Aman vnà celebrãtibus. Prior Mardochæus, cùm rem accepiſset, diſciſſa veſte, cilicium ſumpſit, cinerémque capiti aſperſit, ſignificandi doloris gratia. Eſter regina poſterior, à virginibus, quas ei rex attribuerat, intellexit: quæ, qualis eſset, per nuncios ex ipſo Mardochæo, cui ita amicto in palatium intrare non licebat, exquirit. Re, reíque cauſa expoſita, ei ſuadet, vt Regem pro popularibus ſuis precetur. Eam enim, Dei prouidentia, ad regnum perueniſſe, vt hoc faceret. Ipſa morem Perſarum, ne quis, niſi antè virga porrecta accitus, ad regem adire audeat, opponit primùm: deinde eum monet, vt Suſis Iudæos, qui tum eſſent, conuocet, hortetúrque, vt pro ſe Deum rogent, triduóque abſtineant cibo & potu, quod etiam cum ancillis ſuis factura eſset: ac tum denique ad Regem, etiam inuocata, certo mortis periculo propoſito aditura. Mardochæus diligenter & officioſè mandatum eius curauit. Ipſa tertio die ornatu regio amicta, ſtabat in interiore veſtibulo regiæ, quam Rex, eo ornatu

conſpicatus, extento bacillo aureo (ei enim valde placuerat) acciuit. Ingreſſa cùm eſset, eam rex rogauit, quídnam à ſe peteret: ſe enim illi dimidiam etiam regni partem, ſi peteret, daturum eſse. Rogat eum, vt ipſe & Aman poſtridie veniant ad conuiuium, quod eo die apparaſſet. Hoc facilè à rege impetrauit. In conuiuio illo rurſus ab ea idem quæſiuerat, cùm ipſa iterum inuitat vtrunque in poſterum diem ad conuiuium, in quo illi mentem ſuam aperiret. Eò die à conuiuio Aman lætus & alacer redibat domum: pro foribus palatij Mardochæo ſedenti factus eſt obuiam, qui non modò ei non aſſurrexit, ſed ne motus quidem eſt ex loco, in quo ſedebat. Ille diſſimulata ira, cùm perueniſſet domum, Zaræ vxori, amicíſque omnibus narrat, & enumerat omnes opes ſuas, multitudinem liberorum, gloriam qua à Rege præ cæteris principibus elatus fuerat, nouum denique honorem, quo à Regina affectus eſſet, cùm ipſum ſecundum adhibuerat conuiuio: ſed dicebat quandiu Mardochæum videret, illa omnia ſe pro nihilo ducere. Illi auctores ſunt, vt ei crucem paret, in quam agatur poſtridie, iuſſu regis, ipſius rogatu. Curat de eorum conſilio & ſententia parandam crucem quinquaginta cu-

bitorum magnitudine. Noctem illam Rex inſomnem duxit, prolatíſque Annalibus, leuandi animi cauſa, cùm legerentur, ventúmque eſſet ad eum locum, qui patefactæ à Mardochæo coniurationis ſpadonum in ipſum, quam paulò antè commemoraui, mentionem faciebat: quærere cœpit, quid pro hac fide honoris ac mercedis Mardochæus conſequutus eſset. Cùm ſerui nihil mercedis eum accepiſſe reſpondiſſent, atque ille rurſus quæſiſset, quiſnam ſtaret, in veſtibulo, & illi Aman ſtare reſpondiſsent (is enim iam in interiore veſtibulo erat, vt rogaret regem, vt Mardochæum ſuffigi cruci, quam ei erexerat, iuberet) eum accerſiri iubet. Cùm ingreſsus eſset, eum rogauerat, quid faciendum cenſeret ei, quem ipſe honeſtare vellet: cùm ille, qui regem hoc de ſe dicere putaret, reſpondit, eum quem honorare & honeſtare vellet, induendum eſse ornatu regio, & imponendum in equum regis, atque diademate regio ornandum eius caput, túmque ei, qui primum locum obtineat in principibus regiis, tenendum & ducendum illius equum, ac per aream vrbis ita prædicandum, Sic honeſtabitur, quemcunque Rex voluerit honeſtare. Tum Rex, contrà atque ille ſperabat, ei imperauit, vt

omnia quæ enumeraſſet, Mardochæo, qui pro foribus palatij ſederet, faceret: nec, ſi ſaperet, quicquam eorum prætermitteret. Ita inuitus & coactus voluntate ſua, Mardochæum, quem præ ſe contemnebat, ornatu regio ſedentem in equo, iiſdem verbis in vrbe prædicauit. Ille, qui hac re contemptum ſe duceret, operto capite triſtis domum rediit, vxoríque & amicis omnibus rem ordine narrauit. Sapientes, ſiue magi, quos in conſilium adhibebat, ei prædixerunt, id quod poſt paulò illi euênit, ſi Iudæus eſset Mardochæus, quem ita veneratus eſset, fore vt illi non poſset in poſterum obſiſtere, ſed eo ſpectante corrueret ac concideret. Nondum enim Magi finem dicendi fecerant, cùm ſpadones Regis eum, vt iret ad conuiuium, quod in illum diem Eſter vtrique, vt dixi, apparauerat, monuerunt. In conuiuio cùm Rex vino, vt fit, incaluiſset, Reginam monuerat, vt quod vellet peteret: cùm ipſa eum rogauit, vt ſi quid gratia apud ipſum valeret, ſibi & ſuam & popularium ſuorum vitam donaret. Se enim atque illos addictos, deditóſque eſſe neci & internecioni. Qui ſi pro ſeruis, id quod optabat, venditi eſsent, malum illud, quod tolerabile eſſet, ſe æquo animo ac ſilentio laturam fuiſſe.

Quoniam

Quoniam autem in eum, qui Rex eſset, totum illud redundaret, ſe acerbè ferre hoſtis odium. Cùm rex quiſnam is eſset, rogaſset, reſpondiſſetque eadem, Aman ſceleſtiſſimum, quem cerneret, eſse: Aman repentè obſtupuit, nec regis ac reginæ conſpectum ferre poterat. Rex iratus ſurgens, in ſubiectũ hortum arboribus conſitum ingreſsus eſt. Interim Aman ad reginam quæ in lectulo, leuandi doloris cauſa, iacebat, veniens, rogabat eam, vt ſaluti ſuæ conſultum vellet. Rogantem rex reuerſus cùm offendiſset, dicebat eum etiam reginam, ſe præſente, domi ſuæ comprimere velle: nec dum verba omnia ex illius ore exierant, cùm miniſtri faciem Aman operuerunt & obuoluerunt, vnúſque ſpadonum Harbona nomine, dixit eſſe ibi in proximo crucẽ, quam ille Mardochæo parauiſset. Rex ſtatim præcepit, vt in illam ageretur. Ita Aman iurè ac meritò accidit malum, quod iniquè & immeritò Mardochæo parauerat: contráq; ac ſperauerat, mutata ſunt omnia. Non enim ſolùm ille cruci ſuffixus eſt, quam Mardochæo, vt dixi, præparauerat: verùm etiã locum dignitatis, atque honoris, quem in regia ſecundum regem primum tenuerat, eo mortuo, beneficio Regis Mardochæus adeptus eſt cum

annulo, cùm illum reginæ patruum eſſe didiciſſet. Eſter autem, accepta dono à rege Aman domo, ei præfecit patruum ſuum. Eadem, quæ interfecto hoſte, id eſt, authore tam iniqui & crudelis edicti, facilè id abrogari poſſe intelligeret, à rege impetrauit, vt literas ſcriberet, annulo ſuo obſignatas, omnium prouinciarum imperij ſui præfectis ac iudicibus, quibus ſuperiores de nece Iudæorum ſcriptæ fuerant, vt ſcirent ac ſibi perſuaderent, illas fraude & ſcelere Aman, qui impulſus iniuſto ſuo in Iudæos odio fuiſset, eſſe ſcriptas. Itaque ne ex iis Iudæos interficerent, ſed ſuis legibus viuere paterentur: multáque alia in eis ſcripta erant, quæ ad Mardochæi, Reginæque & Iudæorum laudem pertinebant. Cùm poſteriores hæ literæ, menſe tertio eiuſdem anni datæ, ſuperiores correxiſſent, atque adeò abrogaſſent: Iudæi cœperunt, vt ſuperiores, vlciſci iniurias ſuas. Iámque Suſis quingenti ex hoſtibus interfecti erant, cùm rex hoc reginæ nuncians, quæſiuit ab ea, quid prætereà peteret. Ipſa poſtulauit, vt quemadmodum illo die Suſis factum eſſet, ſic etiam poſtero fieret, decémque liberi Aman cruci ſuffigerentur. Is dies tertiusdecimus erat duodecimi menſis, quo die conſtituta fuerat

mors Iudæorũ. Cùm à rege hoc conceſſũ fuiſſet, poſtridie liberi decem Aman in crucẽ acti ſunt Suſis, & à Iudæis trecenti alij, in aliiſque prouinciis iiſdem diebus quinquaginta milia interfecta ſunt. Hæc autẽ omnia viſa ſunt per quietem Mardochæo, anno ſecundo regnante Artaxerxe, calẽd. Ianuar. cuius ſomnij poſt rei euentum memor, narrauit, paruum fontem, qui creuiſſet in fluuiũ, & in lucem ſolémque verſus eſſet, Eſter eſſe quã Artaxerxes duxiſset vxorẽ, & reginam eſſe voluiſset: duos dracones, quos vidiſset, ſe eſſe & Aman: gẽtes quæ conuenerant, eos eſſe, qui voluiſſẽt delere Iudæos: gẽtem autem ſuam, eſſe Iſraelem, quem Deus liberaſſet. Atq; hæc ſunt, quæ de Eſter ſcripta inueni.

Suſannæ Ioachim vxoris vita.

SVSANNA *Helciæ filia. Eam parentes, cùm boni eſsent, ita lege Moſaïca erudierunt, vt in primis Deum timere ac colere illam docuerint, ne eius voluntatem offendere, aut præcepta violare vnquam in animum induceret. Sic educatam, poſtquam apta coniugio fuit, Ioachim ſuæ tribus homini, cùm diuiti, tum bonis moribus prædito, nuptum*

dederunt. Babylone vir eius in ea captiuitate Iudæorum quæ Nabuchodonoſore rege, qui Hieroſolyma cepit & diripuit, euênit, primum locum honoris & dignitatis inter populares ſuos obtinebat. Itaque ad eum quotidie Iudæi confluebant, Iudicéſque duo, qui tum magiſtratus maximæ erat authoritatis, ibi ius dicebant iis, qui de re aliqua diſceptabant. Suſanna, quæ præſtanti forma erat, cum virtute animi, corporis pulchritudinem ita coniunxerat, vt ne mortis quidem, aut ignominiæ, propoſito certo periculo, vnquam alterutram ab altera voluerit, aut potuerit diuellere: id quod ex iis, quæ ſequuntur intelligi poterit. Iudices illi duo, qui iam ſenes erant, cùm in Suſannæ ædibus, iuris dicundi (vt dixi) cauſa, quotidie verſarentur, eámque cernerent meridie, cùm iam populus diſceſsiſset, in pomarium, quod ædibus adiunctum erat, exeuntem, & ambulantem, forma illius capti, Dei metu depoſito, obſeruabant tempus, quo explere poſſent cum illa libidinem ſuam, cùm tamen principiò neuter alteri hoc ſe velle indicaſſet, quòd pudore prohiberentur. Nam poſteà mentem ſuam vterque alteri aperuit, cùm ad prandium veniſsent, & inde digreſſi, diſiunctíque inter ſe, rediiſſent. Ibi enim

cauſa reditus expoſita, id eſt, libidine, qua vterque ad eum diem, neutro alteri indicante, toto impetu in Suſannæ pudorem ferebantur, conſtituerunt tempus, quo eam ſolam inuenire poſſent. In tam fœdo turpíque conſilio ſuo cùm permanerent, dedita opera dicto die in pomarium, ignara & inſcia Suſanna, conceſſerant, contemplantéſque illam, ex loco inſidiarum, pro more eò ingredientem, nactos ſe occaſionem explendæ libidinis ex eo putauerunt, quòd puellis duabus præcepiſset, vt ſibi oleum & odores, quibus ſe ablueret ac perfunderet, afferrent. Nam cùm per poſticum occluſo pomarij oſtio regreſſæ eſsent, vt facerent quod domina iuſſiſset: tum denique ſurgentes illi, ad eam cucurrerunt, conabantúrque illi perſuadere, vt ſecum concumberet, primùm ab opportunitate loci, quòd ſoli eſsent, nemóque eos videret: deinde minis & metu, quòd niſi aſſentiretur, & concederet quod peterent, pro teſtimonio dicturi eſsent adoleſcentem ei ſtuprum obtuliſse, ob eámque cauſam ab illa emiſſas puellas fuiſſe. Suſanna, quæ in tanto vel pudoris, quo nihil ei carius erat, amittendi, ſi aſſentiretur, vel mortis, ſi non aſſentiretur, diſcrimine verſari ſe videret, hoc tantùm illis reſpondit, quod ab

omnibus in tali re, vſurpandum eſt. Se quidem vtrinque in anguſtum locum compelli, proptereà quòd ſi id quod vellent faceret, in mortem ſe præcipitem daret, mortem animi intelligens: ſin minus faceret, ex eorum manibus non elaberetur: ſed malle ſe ſine opere in eorum manus incidere, quàm peccare Deo, & illius offendere voluntatem. Itaque magna claráque voce clamauit, vt ÿ, qui domi erant, intelligerent. Clamauerunt etiam ſenes, eorúmque alter currens horti oſtium aperuit. Famuli audito clamore ſubitò accurrerunt, vt quid eſſet cognoſcerent: ſenibúſque narrantibus non id quod res erat, ſed quod confinxerant, erubuerunt, quòd nunquam de domina quicquam tale dici audiuiſſent. Poſtero die, populus domum Ioachim pro more conuênit. Conuenerunt etiam ſenes illi duo, qui populum admonuerunt, vt Suſannam accerſerent. Cùm veniſſet, deducta à propinquis & liberis omnibus, operto & obuoluto vultu, doloris cauſa, eius faciem ſenes primùm aperiri iuſſerunt, vt vel aſpectu illius ſuam ſatiarent libidinem: deinde cùm flerent illius propinqui, & ÿ omnes qui eam norant, ipſa autem cœlum intueretur, ſpe ſua in Deo collocata, admotis manibus eius capiti, pro teſtimonio dixe-

runt, cùm ambularent ſoli in horto arboribus conſito, ingreſſam eſse illam cum duabus puellis, quas cùm dimiſiſſet, occluſiſsétque fores, adoleſcentem quendam, qui eſset abditus, veniſſe & concubuiſse cum ipſa: ſe verò, qui eſſent in angulo pomarij, cùm ſcelus animaduertiſſent, ad eos cucurriſſe, ac illum quidem, quem nō potuiſſent prehendere, quòd ipſis eſset robuſtior, aperto oſtio effugiſse: Suſannam autem, cùm captam interrogaſſent, quiſnam is adoleſcens eſſet, noluiſſe dicere. Eis multitudo, quòd ſenes eſsent, iudicéſque populi, crediderunt: Suſannámq; pœna capitis, ex lege, cōdemnarunt. Ipſa exclamans voce magna, Deum precata eſt, vt ipſe, qui ſicut animi conſilia intelligeret, ac ſciret omnia antè quàm fierent, ita ſenes illos falſum teſtimonium in ipſam dixiſſe ſciret, ſe reſpiceret, quæ morte mulctaretur, cùm tamen culpæ, quam illi malicioſè obieciſſent, non eſset affinis. Inſontem illam Deus audiuit. Cùm enim ex ſententia illa, duceretur ad mortem, ſpiritum ſanctum adoleſcentis, cui nomen Danieli erat, excitauit, qui cùm exclamaſset, ſe non eſse participem, nec ſocium ſententiæ, qua Suſanna iniuſtè condemnata, moreretur: coniectíſque in eum oculis, omnes quærerent, quídnam diceret:

ipſe ſtultos illos appellauit, qui non ex veritate æſtimata eius cauſa, illam condemnaſſent. Itaque reuerterentur ad iudicium, quò rem diligentiùs exquirerent: falſos enim teſtes eſſe eos, quorum illam condemnaſſent teſtimonio. Omnes tum redire, ſenes eum rogare vt aſſideret, cui Deus adoleſcenti ſenilem dediſſet ſapientiam. Cùm aſſediſset, teſtibus inter ſe diſiunctis ac ſecretis, ab altero quæſiuit, ita vt alter vocem non exaudiret, ſi Suſannam vidiſſet in ſcelere, ſubter quam arborem vidiſſet. Cùm reſpondiſſet, ſubter Lentiſcum, mentitum eum eſſe dixit periculo capitis. Dei enim angelum aſtare, qui, accepta à Deo ſententia, illum medium diſcerperet. Eo dimiſſo, alterum iuſsit venire: qui rogatus, ſubter prinum eos ſe vidiſſe reſpõderat, cùm Daniel illum etiam mentitum eſſe dixit in perniciem ſuam. Manere enim angelum Dei, qui gladium haberet, quo ipſum medium ſecaret, & vtrunque interficeret. Omnes qui aderant, cùm hæc illorum tam contraria teſtimonia cognouiſſent, ſublato clamore Deum laudauerunt, qui ſeruaret eos, qui in ſe ſpem collocaſſent: conuictóſque ſenes falſi teſtimonij, ex lege, morte mulctarunt. Sic inſons & innocens Suſanna, Dei benignitate, cuius

fidem implorauerat, abſoluta eſt, Helcia & vxore eius, Deo pro illius liberatione & abſolutione, cum Ioachim ac propinquis omnibus, gratias agentibus.

MATRIS SEPTEM FRATRUM Machabæorum vita.

MVLIER *quædam, cuius nomen literis diuinis non eſt traditum, Antiocho rege Demetrij filio, in Iudæa, tanta conſtantia fuit, vt ſeptem filios non ſolùm grauißimis cruciatibus, acerrimíſque ſupplicijs interfici, quòd ſuilla carne veſci nollent, videre ſuſtinuerit, verùm etiam patria lingua, ad perferenda illa omnia potius, quàm id facerent, cohortata ſit: atque ipſa, quæ toleranda liberis cenſuerat, poſteà forti animo pertulerit. Id quod quemadmodum & quo ordine geſtum ſit, narrare inſtitui, vt ea laudata beata matre, matres exemplum documentúmque, quo liberis in tali re conſulere ac dare conſilium debeant, habere poßint & clarißimum, & optimum. Antiochus quidem, qui cuperet Iudæos à patrijs legibus, id eſt, diuinis, ad eas quibus vtebatur, tra-*

ducere, vetuerat, ne quis Iudæus ſuilla carne abſtineret: multiſq; cõprehenſis, eos veſci cogebat grauiſſimis cruciatibus: in his, matrem hanc, ſeptémq; eius liberos. Sed nulla vi, nulliſque ſupplicijs, etiam exquiſitiſſimis & grauiſſimis, perficere potuit, vt illi nefario cibo ſe inquinarent, prudentiſſimæ matris & præceptis quondam inſtituti, & tũ corroborati conſilio & authoritate. Ea enim etſi illos omnes vnius diei ſpacio ſibi eripi cernebat, tamen eorum mortem æquo animo ferebat ſpe immortalitatis, atq; adeò ad illam fortiter tolerãdam cùm alijs verbis, tum his incitabat. Negabat quidem ſcire ſe qualis eorum ortus in vtero ſuo fuiſſet, quæ neque animum & vitam eis dediſſet, neque ſingulorum membra finxiſset. Hoc autem ſcire ſe, Deum mundi conditorem, qui hominis ortum molitus eſſet, omniúmque inſtituiſset originem, ſpiritum illis iterum, atque vitam, redditurum eſſe, quòd præ legibus ipſius ſe vitámque ſuam contemnerent. Hac eius oratione inflãmati ſex primi, & corroborati, non ſolùm in tormenta exquiſita, cum maxima & Antiochi, & omnium qui aderant, admiratione, ſe dederunt libentiſſimè, verùm etiam liberè in tormentis pœníſque ipſis, regis crudelitatem reprehenderunt. Quod acerbè

ille ferens, qui ſe contemni hoc ipſo putaret, cùm ſeptimum nec ſpe amicitiæ, opum & honorum, nec metu ſuppliciorum in ſententiam ſuam poſſet traducere, ad extremum matrem ad ſe euocauit, eiq; ſuaſit, vt poſtremi filij ſaluti conſuleret. Ipſa, quã multis ille verbis hortatus fuerat, cùm ſuaſuram ſe promiſiſſet filio, eum patrio ſermone rogabat primùm, vt ſui miſereretur, quæ mater illum filium in vtero nouem menſibus geſtaſſet, quæ triennio lacte aluiſset paruulum, quæ denique vſque ad illam educaſſet ætatem: deinde vt cælum, & terram, eáque omnia quæ complexu ſuo continerent, contemplaretur, Deúmque illa omnia & homines ex nihilo effeciſſe intelligeret. Sic enim fore, vt carnificem non timeret, ſed dignum ſe fratribus ſuis ſuſcepta morte præberet, atque ita illum cum eis in cœlo reciperet. Quibus ille matris verbis animatus, acriùs quàm cæteri in tyrannũ inuectus eſt: ob eámq; cauſam crudeliùs in eũ ille animaduertit. Mater autem ipſa, liberos ſeptẽ, quos ita ad vitam gloriámque præmiſerat ſempiternam, ad extremum, ſuppliciis, quæ prodita non ſunt memoriæ, magno animo toleratis, ſequuta eſt.

Libri Sanctarum Mulierum Finis.

DE SIBYLLIS.

QVONIAM *Sibyllæ à Perionij argumento non ſunt alienæ, ſiue in diuinorum vatum, ſiue in ſanctarum mulierum veteris teſtamenti nomenclaturam referantur: de his nonnulla, chartæ inanitates repleturi, narrabimus: Nam & ante Chriſtum vixerunt, & Paganis id fuerunt, quod Iudæis ſancti Prophetæ: & in*
Lib. 18. cap. 23. de Ciuit. *eorum numero deputandæ videtur, inquit Auguſtinus, qui pertinent ad Ciuitatem Dei, vt & nomen ſatis oſtendit. Sibyllæ enim deflexio Laconum eſt, apud quos σιὸς dicitur Deus: & βύλλη, quaſi βουλὴ, conſilium. Sunt autem de-*
Lactant. lib. 1. ca. 6. *cem numero, vt Firmianus refert, tametſi recentiorum plerique libros omnes Sibyllinos, aut vnius, aut ſaltem pauciorũ eſſe contendant. Sed hæc ex ipſarũ hiſtoriis explicatiùs conſtabunt.*

Prima nomine Sambetha Chaldæa ſeu Perſica, ex ſtirpe Noë fuit, ac Alexandri Macedonis geſta, perinde atque Daniel, prædixiſſe fertur, vnde & eius meminit Nicanor, cùm res Alexandri conſcriberet. Non dubium, quin ab Hebræis, quibus cum Chaldæis & Perſis aßiduum fuit cõmercium, cognitione Dei, ſine qua munus Propheticum cuiquam tribui non ſolet,

imbuta fuerit. Hanc nonnulli confundunt cum Erythræa, quòd ad finem libri tertij Oraculorum ſibyllinorũ, quæ nuper Græcè reperta ſunt, tradat ſe Nurum eſſe Noë, cúmque eo euaſiſſe ex diluuio, & Babylone profectam vaticinari per Græciam, falſoq́ue ex Erythra natam dici, aut etiam ex Circe & Gnoſto.

2 *Altera Libyſſa, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Eius cætera ignota ſunt.*

3 *Delphica, quæ Delphis nata eſt, de qua Chryſippus locutus eſt in eo libro, quem de Diuinatione compoſuit.*

4 *Italica, ex Italiæ finibus. Huius filius Euander, vt ſcribit Liuius, Panis fanum, quod Lupertum appellatur, in Latio condidit. Cumæam ex Italiæ ciuitate, cuius Næuius in libris belli Punici, & Piſo in Annalibus meminerãt, Lactantius nominat. Cum hac congreſſus Æneas traditur ab Ouidio in Metamorphoſi, vbi* Metamor. 14. *Sibylla inquit ſibi à Phœbo prorogatam eſſe vitam, ſeq́ue iam ſeptem ſæcula, id eſt ſeptingentos annos, vixiſſe, & adhuc trecentos eſſe duraturam. Ea ipſa eſſe videtur, quam Virgilius Deiphoben Glauci filiam facit.*

5 *Præcipuam & nobilem præter cæteras Erythræam fuiſſe commemorant Græcorum Ari-*

ſto Chius & Apollodorus Erythræus, Noſtrorum Varro & Feneſtella. Græcis Ilium petentibus prædixit & periturã Troiam, & Homerum mendacia ſcripturum. Eius carmina, quæ Romam Legati, Erythras à Senatu miſsi, deportarunt, à conſulibus Curione & Octauio, in Capitolio depoſita ſunt. Mira de Chriſto vaticinata eſt, de quo & Acroſtichidem, quam attigit Cicero 2. de Diuinatione, vbi diſputatio eſt de Rege appellando, ita compoſuit, vt primæ verſuum literæ has voces redderẽt, ἰησοῦς χριστὸς, θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, σταυρός. Ieſus Chriſtus, Dei filius, Saluator, Crux. Ariſtoteles libro de Mirabilibus narration. eandẽ cum Cumana eſſe exiſtimat. Cumis, inquit, in Italia, oſtenditur quoddam cõclaue ſubterraneum Sibyllæ vatis, quam diutiſsimè vixiſſe, & virginem permanſiſſe perhibent: quæ eſſet Erythræa quidem, ſed à quibuſdam incolis Italiæ Cumæa, ab nonnullis Melanchræna vocaretur.

6 *Samia nomine Phyto, de qua Eratoſtenes in antiquis Annalibus Samiorum reperiſſe ſe ſcriptum prodidit.*

7 *Cumana, quam nonnulli Cumæam etiam vocant, Amalthea nomen habuit, eadémque Demophila, vel Herophila, à quibuſdam Para-*

xandra nominatur. Ea eſt quæ Tarquinio Priſco Regi (Gellius Superbum fuiſſe ait) nouem libros obtulit, quorum tres in ſacrarium conditi, Sibyllini appellati ſunt. Ad eos, quaſi ad oraculum, quindecim viri adibãt, cùm dij immortales publicè conſulendi eſſent. Omnium autẽ Sibyllarum libri ita in Capitolium reconditi ſunt, vt Cumeæ prorſus abditi ſint, nec in vulgus prolati, quoniã quæ in Italia euentura eſſent apertè pronunciarent, alij fuerint omnibus cogniti, quòd Romani imperij ſtatũ & fata minus tangerẽt. Extat in Bucolicis Virgilij Ecloga ſumpta ex huius vaticinationibus, quæ ita placuit Euſeb. Cæſarienſi, vt extremo lib. de vita Conſtantini eius interpretationẽ ſuſceperit. Ac certè in ea illa dicuntur, quæ non niſi de Chriſto accipi poſſunt.

Gellius lib. 1. cap. 19.

Ecl. 4.

8 *Helleſpontia in agro Troiano nata eſt, vico Marmiſſo, aut Marpeſſo, (nam variãt codices) apud oppidũ Gergithium, quã ſcripſit Heraclides Ponticus fuiſſe Solonis & Cyri temporibus.*

9 *Phrygia vaticinata eſt Ancyræ.*

10 *Tyburtina nomine Albunea, Tyburi colebatur vt dea, iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite ſimulachrum eius inuentum eſſe dicitur, manu librum geſtans. Eius ſacra Senatus in Capitolium tranſtulit.* FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE